

ANTIOQUE

TATES VALEN

TINAE.



MAGNIFICO PERINDE, AC EX,  
cellenti Patrono suo obseruadissimo. D. Benedi  
cto Valenti Clementis . VII . Primo. Secun  
do loco Pauli. III. S. D. N. Pont. Max.  
Tribuno Aerario, Franciscus Aliger  
Dantis tertii filius antiquitatum sua  
rum opusculum dedicat.

Longa dies Monumēta tulit, quę maxima quōdam  
Constituit Latio Roma Quirine tua,  
Ne dum mortales, quorum longissima vita  
Ter denas nunquam clausit Olympiadas:  
Vna valet fato functos Acheronte referre  
Ad superos virtus, Nec styga sola timet:  
Hęc igitur poterit Benedicti frangere saxa  
Persephone: at nomen nulla mouebit hyems.




EX MAGNIFICO AC EXCELLEN.

D. B. Valenti, Franciscus Aliger Dantis  
tertii Filius. S. D.

**Q**uærenti mihi, quæ res potissimum nos a  
vulgo secerneret, & p̄prios Diis immor  
talibus efficeret, comitas & liberalitas pa  
riter occurrerunt, quatum altera maiorum studium  
cōciliat, altera minores allicit, vtrac̄q; vero pares no  
bis mutua deuictos amicitia perpetuo retinet: His  
artibus hodie qui melius vtatur, q̄ tu. **BENE DI  
CTE** Amplissime, prorsus arbitror esse neminē,  
Nam quid ego pluribus in memoriam nunc reuo  
cem, quanta pietate præsidis huiusmodi te munitū  
minores colant: quod **CLEMENS**, & **PAVLVS**  
ambo rerum Maximi te semper fouerint, & purpu  
rati Flamines te certatim in dies arctius amplexen  
tur, hoc totum comitati & liberalitati tuis acceptū  
referas velim, quibus non ex humili in altiorē per  
uenisti locū, & summum propediē (vt spero) obtis  
nebis: Me (vt alios mittam) tanta liberalitate semel  
dumtaxat visum complexus es, vt, quoniā par parī  
vel si vitam profundam pro te, nunquam referre,  
me posse video, eandem mihi acerbam putem: Au  
ro, Argēto ue remunerer ne te: id rei familiaris an  
gustix prohibent: nec est consentaneum, vt ii, qui  
minus habent, aliquid addant pecuniae diuoribus:  
An statuas operis antiqui donabo, cui plus harum  
rerum nihilo est, at tu contra, **L. Lucillum**, Si cum  
suis delitiis, & ornamentis hodie ab inferis existe  
ret, marmoreis signis facile vinceres: Virtutes vero

EX  
medi  
un  
k.  
dam  
s.





uas scriptis extollere qui possum? Cui natura, &  
studio nulla dicendi copia, & facultas sic compara-  
ta, Multos habebis pfecto, siue habes Amplissime  
Vir tua liberalitate iam conciliatos, qui virtutum  
tuarum summæ stilo respōdeant, & te meritis efferant  
laudibus: Nulla enim vel mediocris viri virtus ne-  
dum tua, qua præclarius est nihil, diutius inuolui  
silētio, aut latere potest: quod si te tacitum docti tu-  
lerint siue inuidia, siue malignitate commoti, tuum  
tamen nomen, & gloriam vulgus semper habebit  
in ore, nec vnquam ex memoria nostra te vlla dele-  
bit obliuio: Atq; vtinam is essem, qui conceptā de  
te sentētiā semel arbitra-umeo in mediū possem  
producere, ac non infirmitatis meæ conscius ab ea-  
dem pudore deterrerer, efficerem. Mediū fidius vt  
omnes, neminē tibi munificētia seu sanctitate præ-  
stare plane perspicerēt: Quod quoniam fato mihi  
surreptum video, nec inuita Minerva quicquā co-  
nandum statui, quod est proximū, tibi ex variis ve-  
terum monumentis quæ sunt apud te, cum persis-  
ciēdis, vbi aliquid desiderat, tum illustrādis: Si qua  
difficiliora occurrerint aliquā, si nō gloriam at vo-  
luptatem comparare, Neq; sum nescius excellētē  
apprime antiquarium te contemplantis hisce, inue-  
stigandisq; plurimum teneri: Sed animum tuum  
maiora ab hoc studio negoria diuersum trahunt, &  
implicatum eundē tenent: Nec me hercule iniuria,  
Nam cum merito tuo Paulus Pont. Max. Aerariū  
Pontificii Tribunum te cooptarit, non absurde fa-  
cis, si munus, quod suscepisti, minoribus omissis re-  
bus strenue præstas: Quapropter non nihil etiā ve-



reor, ne pari modo ab eiusmodi nostris elucubratis  
unculis auoceris, & omnino nos oleum, & operam  
perdiderimus. Id ne fiat, a te etiam, atque etiam pe-  
to: quippe potes Floris succissiuus, aut saltem coe-  
natus relaxandi animi gratia, quæ tua sunt, perfe-  
ctiora cognoscere. Plurima etiam inuenies,  
quæ tibi forte non iniucunda fuerint, Si  
qua vero parum probabuntur, eos-  
rum non tam culpam in me,  
quàm in auctores, a quibus  
hæc sumpserim,  
conferas ve-  
lim. Va-  
le, &  
me (vt  
facis) pers-  
petuo ama.

a    iiii



Genera  
mortis.

**Q**uoniam maius in recessu negotium fuerit quam fronte promittat: priusquam legitimus opus capescam, quæ genera mortis, quot Sepulchrorum maioribus essent species, sepeliendorum præterea Cadauerum, nec minus funerum Ritus Antiquorum præfari non alienum putavi, Secundum igitur Physicos, tria mortis genera deprehendimus, Vnum naturale, quod ad vltimum tendens humanæ Vitæ quattuor Saturni cursibus, hoc est annis Centum Viginti conficitur, Secundum, fatale quod dicunt, tres eiusdem Planete cursibus perficit, Tertium in casu, & fortuna situm est, vbi ex alicuius syderis aspectu noxio vel morbo, vel aliqua alia vi naturalem, & fatalem exitum morte præuenimus: propterea mirum nobis non debet videri, si varia in Sepulchris insignia cernimus, quæ interpretari varie pro captu ingenii solemus, & multum quidem multa scitu non iniucunda memoriæ prodiderunt: Sed omnia recensere longum nimis, & superuacaneum fortasse fuerit, Tantum dicam, vbi in Tympano Corium cum Lucerna vacante conspicabimur, Sepulchrum decrepiti iam senis merito arbitrabimur, Si vero vas futile pro lateribus vtrique steterit inclinatum, vergentiam iam in senium ætate defunctum iacere satis constat, At si in supercilio sertum fuerit lemniscatum, tumultum fuisse iuuenis ne ambigamus, quod adnotasse superfluum fuerit in iis, quibus vita defuncti sit adscripta, Hæc si quis aliquando tamen obseruata secus offenderit, non propterea debebit imperitiæ me statim suspectum habere, Verum eius arguet inscitiam, quæ inarmor



huiusmodi celauerit, quasi vero permulti non reperiuntur marmorarii, qui dum student videri se præstare cæteris omnia perperam mutant, Quam ob rem nec possumus, nec debemus, quod in vno dixerimus epigramate, in omnibus idem perpetuo præstare, Quoniam de diuersis vitæ cursibus satis pro re disputatum videtur, reliquum est de forma Sepulchrorum diuersa, ritusq; vetusto cadauerum efferendorū, vt in præsentia pauca de multis excerpamus.

Vulgarium, Libertinorum, Seruorumq; cadauera Romani veteres extra portas vrbis in vstrinis publicis gratuito comburebant, inde cineres in testam coniecti, cum numismate, quod secundum priscorum religionem Charonti, pro portorio porrigerent, in aggeribus defodiebantur, vbi patebat publicus ignobiliū cippus, Cæterum si quas capatiores inscriptas literis urnas offenderimus eæ non cineres in se tantum, sed & ossa coniecta testantur, Et quoniam ad maiorem censum nostra deflectit oratio, ex ingenua plebe cadauer elatum tenui funere, proprioq; sumptu combustum auito tumulto credebatur, nec tantum cineres lotos vino, sed & ossa, si qua flammæ rogales reliqua fecerant, in Vrnam cū triente coniiciebant, quam muro gentilitii monumenti infarciebant. Equitum vero Patritiorumq; tumulandorum ratio longe alia erat, quæ, vt dilucidius explicetur, altius antiquorum monumenta reuoluerre non alienum duximus. Romanorū primū, quos Cascas appellat Ennius, vt erant, promiscue tam in vrbe, q̄ extra sepeliebantur. Id Cn. Duellio, & C. Lutatio Cos. fieri desitum est, Tum quippe Senas

Sepeliē  
dorū ritus.



tus censuit, ne quis intra Pomerium sepeliretur, Vnde Imperatores tantum, Virginesque vestales, quia legibus non tenerentur, in vrbe Roma Sepulchri ius habebant: vt ad rem redeam, cremare cadauera veterum mos non erat, humo tantum defodiebantur: Cæterum posteaque longinquis impliciti bellis effodi ab hostibus comilitonum cadauera, ludibrioque haberi didicerunt, vt ea comburerentur obprobrio sic futura minus obnoxia, sanxerunt, Fuere nihilominus qui priscos ritus seruauerint: Nemo etiam Corneliorum nobilissimæ familiæ ante L. Syllam Dictatorem vstrinæ fertur traditus, Tulliolam. M. Tullii Ciceronis Plumbeo compositam Loculo etiã tunc integram cum perenni lucerna refossam fuisse Recentiorum testantur annales: impuberes etiam immunes vstrinæ legimus. Sunt, qui credant Romanos id instituisse, statim vt anima corpore libera in sui naturam rediret, quam sententiam Aegyptii nõ concoquebant: Nam memoriæ proditum est, eos melle condita, Pluribusque aromatum generibus delibuta domi suorum cadauera, vt diutius in his animæ perdurarent, seruasse: nec enim defuncti spiritum tantisper, dum cadauer esset integrum, in alterum corpus migrare sibi persuadebant, Sed de iis hætenus, nunc ad Romanos redeamus, quorum si quis primarius egisset animam, in septimum diem seruabatur, octauo calida non solum lauabant, sed & oleo perungebant, subinde nomen eiusdem conclamantes, vt si quis superesset spiritus, clamoribus huiuscemodi excitaretur: & ne per diem celebrandorum ritus sacrorum interpellaretur, suprema vespe

ra summa  
longe, la  
summo  
res cond  
coronar  
se conue  
perduce  
prouect  
pa fune  
ra pro c  
tum qu  
Pyra, a  
aquæ fu  
bant, re  
tur: ali  
bus ad  
nino ac  
tum vi  
mortu  
cebant  
tio næ  
pius ac  
ante p  
inde p  
Pyran  
li corc  
dens f  
diu co  
bus, il  
alia m  
id gen

r, Vn ra summa pompa funalibus (vnde funus est dictū)  
ia le longe, lateq; collucentibus efferebatur, & vt omnia  
ri ius summo ordine, & elegantia procederent, designato  
ra ve res conducebāt, qui multimodis spectaculis ciuium  
tur: coronam litibus, & negotiis alioqui districtam in  
ffo: se conuerterent, & integrum funus ad vstrinā vsq;  
ioq; perducerent, Vbi Tubicinum præcinente choro, si  
o sic prouectioris fuisset ætatis, si puer, Tibicinum pom  
nus pa funebris ad sepulchrū peruenerat, in summa Py  
ne: ra pro dignitate constructa cadauer componebāt,  
sta tum qui fuisset sanguine proximus, face ex funibus  
llii Pyra, auersus ignem subiiciebat, præparata prius  
nc aquæ summa vi, ne si forte, quem mortuum duce  
e: bant, reuiuisceret, uiuens nihilominus comburere  
m tur: alii propterea credunt antiquos aquam funeri  
a: bus adhibuisse, ne adhuc, ei quem extulerant, om  
n nino aqua & igni interdictum, idest de eo despera  
s tum videretur. Porro Mulieres Alexandrinæ, quæ  
s mortuos cum lacrimis laudarent, ære paruo condu  
s cebant  
Græci dicunt, quarum deplora  
tio nænia dicta cantilenæ quam lamentationi pro  
pius accedebat, Tum plurima Cupresso, quæ prius  
ante portas defuncti steterat, ne Pōtifex Maximus  
inde præteriens cadaueris imprudens pollueretur,  
Pyram circumdabant, ne grauis odor vstrinæ popu  
li coronam male haberet, quæ tandiu stabat respon  
dens fletibus præficæ, idest planctuum Principi, quā  
diu consumpto flammis corpore, collectisq; cineris  
bus, ilicet, iam conclamatū est, præfica diceret: Nec  
alia me hercule de causa plurimum Thuris, ceteraq;  
id genus, quæ iucundio rem flagrantia mittant odo



rem, & cum pateris oleum in rogam coniciebant, nisi vt maior, & fragrantior excitaretur flamma. Addebat: debant, quæ charissima, dum viueret, habuerat, vti puta vestes, equos, arma. Verg.

Addidit equos atq; arma, quibus spoliauerat hostem.

Fuerunt etiam, qui mancipia, quæ, dum viueret, in delitiis habuerat, vinceta in flammam coniecerint.

At iis qui pro Rep. strenue dimicantes occubuerat, ex quo flammam subiecerant, captos ex hostibus, ne

quid furoris deforet, cum iugulassent eodem proieciebant, Quod facinus ab humanitate remotissimum

recentiores cum exhorruissent, plurima nihilominus gladiatorum paria (bustuarii propterea dicebantur)

qui se mutuis vulneribus iuxta rogam conficerent, a lanistis comparabant. Enimvero putabant eo sanguine defuncti manes infestiores, quod in floridiori ætate corpus deseruerant, placari, aut certe, quoniam

am sedes animæ sit sanguis, magis allici. Hisce rebus peractis victores cœnam diis manibus sacram

in rogam ingerebant, inde, qui bustum per noctem seruant, certos præficiabant: Tum redeundi domum cuique libera dabatur facultas. Postridie eius diei gallicinio, posteaque bustum ex rogo fuerat, qui

susceperant has partes, a loco, vbi primarii corpus statuerant a colore cinerum, quippe qui cæteris essent

atque reliquias colligebant, vinoque colluentes in Urnam auream quod Agrippina in germanici funere factitauit, æneam, argenteam, marmoream

ue pro censu coniciebant, addebant numisma faciem defuncti referens aureum, argenteum ue, siue æneum:

Quibus rite perfectis præfica iam frequenti populo



ebant, o, ilicet, iam conclamatum est, summa voce pronū  
na. Adabat: quæ verba perinde sunt, ac si quis diceret, vo  
rat, vobis ire licet, nam in eo, quem defleuimus, vt reuiu  
cat, nulla iam relinquatur spes. Regum vero, Cæsa  
postē. rum, & Imperatorum funeribus eadem ferme, quæ  
ueret, recensuimus adhibeantur: præter quam qd̄ præ  
erint, cedebant libitinam gentilitie, e cedro imagines sub  
uerāt, sequebant̄ vexilla, & signa, si qua fuis hostibus pu  
is, negnando cœperant, halitæ præter hæc puræ, coronæ  
roii-phaleræ, quibus ab ineunte ætate ab Imperatoribus,  
simū quorum ductu stipēdia fecerant, donati fuerant, In  
inus de Tibicines canentes Phrygium longa postremo  
ant̄) necessitudine aliqua coniuictorum & agnatorum  
ent, series atratorum, Hinc lectuli plures, de quibus  
san Vergilius intellexit iis verbis  
lio: Vel quæ Tyberine videbis, Funera, cum tumulum  
oni præterlabere recentem: Innumere præterea faces.  
re: subibant Pheretrum, tecto capite, qui sub iis Impe  
am ratoribus primos ordines duxerant atrati ad talos  
em vbi ad Sepulchrum intra vrbem extractum erat vē  
o: tum vstores cadauer palmata tunica nudabant, &  
us assuestino confectas lino tunicas funebres indue  
ui bant, etenim tanta erat huiusce lini vis, vt quamuis  
is comburerentur cadauera sibi commissa, ipsum ta  
s men intactum, inuiolatumq; corporis fauillas a re  
s liquis cineribus rogi separabat: Inde minor erat  
ui vstorum labor colligendis reliquiis, neque aliquis  
ā error esse poterat ab re dicebatur,  
ē quod rarum inuētū æquabat (vt Plinius libro. xix.  
s naturalis historiæ asserit) pretia excellentium mar  
garitarum: quæ sequebatur, superius in maiorum

runeribus satis exposuimus, verumtamen ordinum  
ferme omnium iusta mortalium ad exitum cū per  
B. Valē duxerimus licet mihi paulisper immorari, teq; Be  
tis laus. nedicte suauissime percunctari. Posteaquam viuen  
do tres Saturni iamdiu confeceris cursus: anno  
rumque longissima series anima quā defecatus es  
nihil, aut purius, quam potius dicere debemus, et  
saperemus cum Vergilio Aetherum  
sensum, atq; aurai simplicis ignē. Cum (inquam)  
maturum tempus animam tuam ab annoso corpo  
re diduxerit, liberi supstites, qui pietate cæteros vin  
cunt, quibus iustis, quo tandem loculo pro meriti  
tuum cadauer prosequentur? Marmor ne Numis  
dicum, aut si quod est præciosius, æs Corinthium  
argentum, aurum ue, aut margaritas adhibebunt  
sane, si merita tua recte voluerimus pensare, hæc om  
nia longe vicisti, Quid ergo, quod condignum  
tuis auilibus membris Sepulchrum excogitabunt?  
nullum profecto nec enim egebis eo: Quid ita  
quia iure poteris cum Ennio dicere  
Nemo me lacrimis decoret, aut funera flendo, Fas  
xit, cur? Volito recta per ora virum. Et verius q̄ ille:  
Quid enim præter inconditos versus factitauit,  
quam ob rem suæ ætatis ciues, & posteri deberent  
eum in ore semper habere? Quod monumentum  
morum suorum posterius natis reliquit, præter as  
sentationem qua profecutus est græculorum ritu,  
P. Scipionem Africanum? Quibus vero artibus,  
aut virtute, industria ue Tribules (mitto Tribules)  
at cognatos, & necessarios suos adiuuit? certe nul  
los extulit, nec se quidem, nam pauperrimus vixit.



linum nec ditior mortuus est, Tuorum vero ea est specics  
ū per morum, is est candor animi tui, ea integritas vitæ,  
q̄ Be vt qui nequissimus Helluo nondū a deso censu, sed  
viuen ætate ferme transacta fuerit, si tuæ vitæ cursum per  
anno diem tantum contempletur, & tuorum sanctitatem  
us est morum recte perspexerit, facile relipiscat, & quod  
us, si superest sibi vitæ, ad bonam frugem conuertat,  
erum Quid industriam? Quid studium in tuos nunc refe  
iam? quid Iuris Ciui is scientiam in qua. Q. Mutio  
orpo Sceuolæ haudquaq̄ cedis, pluribus commemorē?  
s vit Hoc vnum ita tuo, cum sit virtutis præcipuum con  
eritis ciliare sibi animos hominum, & ad vsus suos adiū  
imib gere, te tua sapiētia, & virtute mortalium studia ad  
um: amplificationem tuarum rerum prompta, & parata  
unt: excitaſſe; nec tantum tibi præparasse, sed iisdem, qui  
te o tibi studuissent, optime de rebus suis cōsuluisse, vt  
num pote qui ex pauperrimis breui ditissimos tuis confi  
unt: liis effeceris. Certe cum in memoriam reuoco fortu  
ita: nas a parēte tibi relictas, nūc autem tuas opes confi  
Fa: dō ro tuam præterea integritatem contemplor, di  
lle: uina (vt aiunt) virgula eas tibi suppeditari censeo:  
uit, incredibile enim dictu est, quātas pecunias largiē  
ent do profuderis, quæ donaueris, quot & quibus mu  
um neribus mortaliū genus omne tibi deuinxeris. Sed  
as quo magis pecunias abigis, eo magis crescūt: Diu  
tu, num est hoc quibusdā diuinū (inquā) miraculum  
us, pleriq̄ arbitrantur. Sed mihi minus est mirum, qui  
es) iustitiam, fidem, virtutesq̄ ferme omnes, quæ perti  
ul: nent ad mansuetudinem morum, ac facilitatē, tuas  
apprime nouerim: iis te diligit multitudo, iis tibi fi  
dem habet maximam, & omnia facta tua miratur,



his honore quouis te dignissimū putat, tua integritate, tua prudentia, tua patientia, tua elegantia, virtute, comitate, sobrietate, effectū fuit, vt Pontifices Maximi, Reguli, vt dynastæ pleriq; tantas tibi facultates contulerint, quantæ ad amplissimū patrimoniū, & largiendum affatim suppetāt: Sed his potentiorū in te studiis nihil elatus tu, quid in quaque re verum, sincerumq; sit prospicis, tu, quid consentaneum cuiq; sit, facile vides: tu motus animi tui turbatos optime cohibes, tu corporis impetus cogis obedire rationi: tu moderate, & scienter hominū, quos beneficiis tibi deuinxeris, studiis vteris. Tu omnia cumulate officia nosti reddere, tu deniq; (vt in pauca conferam) es virtutum ferme omnium imago expressa: Non est igitur mirum, si te peræque omnes amant, & suspiciunt, tibi obediūt, & omnia sua tibi (vt aiunt) in manum dant, quibus summa & perfecta gloria constat, quibus studiis opes affluunt, quibus virtutibus in cœlū aspiramus: Mirū igitur tibi non debet videri si tanta fama, & opinione liberalitatis & beneficentiæ tuæ multitudo vehementer commota, de te cum loquitur, clamores facit: parietes me hercule, & tecta vrbis, miror magis quid ita te non prædicent, te non loquantur, te non extollant, cū te rerum Maximi, te maiores, te pares, te minores, te infimi, te peregrini, te ciues tui, te Itali te Barbari vnum in ore habeant, venerentur, admirantur, adorent: iam dudum inuidia maiores, mors rem etiam post obitum vinces, potis est enim fama vel e sepulchro mortuum in meliorem vitam excitare: Quam ob rem Monumento tibi nihil opus

erit. Sed iam redeundum est nobis ad propositum,  
etenim mirus amor in te meus, & incredibilis indu-  
ctio animi erga te mei longius cogitationem nos-  
tram ab incepto retraxerat, dabitur etiam alioqui  
fortasse otium cōmodius, quo potero exactius, quæ  
de te sentio, proloqui, Nunc igitur veniam dabis, si  
maturius ad institutū reuertar. Posteaquē præfica nos-  
uissima verba summa voce pronuntiarat, omnes va-  
le æternum, & salue, qui circumsteterant, vna voce  
respondebāt: tunc abiiciebatur aqua, extingueban-  
tur faces, & in urbem lustrati rore leui redibāt. Pro-  
rostris, vbi conuenerant omnes, defunctus proluxio-  
ri oratione laudabatur, post sacrum nouendiale, ius-  
tis magnifice persolutis comœdiæ repræsentaban-  
tur: ludi funebres celebrabantur, Sepulchrū postre-  
mo redēptoribus construendum locabatur: Quod  
æpulum seu viscerationē mortui ergo populo dare  
ex instituto patrum post nouendiale sacrum tenerē-  
tur hæredes, nusquā memini me legisse, at qui multis  
præstiterunt, sane quidem, sed aut ex testamento,  
aut honorum facilius adipiscendorum gratia: Ab  
hinc nono die defuncti manibus parētabant, Mo-  
rem sepeliēdorum mortuorum, qui fuerit apud pri-  
scos, uides: superfluū quippe nobis est uisum Hyr-  
canorum, seu Messaghetarū ritus ferinos potius, quā  
humanos, aliorumque huiusmodi, qui nihil prorsus  
ad rem nostram faciūt, addere. Reliquum est, ut mo-  
numenta maiorum, id, quod res postulat, & formas  
eorundem subiiciamus, quod cōmodius consequē-  
mur, si quædam prius opera externorū magnifica,  
quæ non iniuria inter septem orbis miracula con-


Monu-  
menta  
maiorū.



numerentur, executi fuerimus. Visuntur etiam nūc  
Aegyptiorum sepulchra Regū (Pyramides a forma dicunt) adeo ingenti mole saxorum in medijs  
harenis Aegypti constructa, vt nihil mirabilius ex  
cogitari, nedum dici possit: Hic plures incohatae  
perfectae etiam non nullae stant Pyramides, Quarum  
vna Miris Aegyptiorum Rex sibi, alteram con  
iugi perficiendam curauit, vtrinq; stadii vnus men  
surae, nec minor erat altitudo: porro stadium (ne  
quid omittamus) passus centum duodecim cum di  
midio complectitur, passus ex quinque pedibus, pes  
ex xvi. vnciis constat. Supra Pyramides in trono se  
dentes ex marmore sunt statuae, quo quanta sit earum  
magnitudo, facile colligitur: Tertiam Cheops ex  
citauit Rex idem Aegyptius, cuius singulorum la  
terum dimensiones octonum plethronum est ple  
thrum sexta pars stadii) mensuram explebant, nec mi  
nor erat altitudo. Pro Pyramidibus est Sphynx A  
masi Regis sepulchrū, capitis monstri ambitus per  
frontem, teste Plinio, centum duos pedes colligit:  
longitudo pedum centum quadraginta trium est,  
altitudo ventre ad iummum caput se aginta duo  
rum: Fuerunt & Obelisci Sesostris Regis duo ex  
vno lapide, quorum altitudo centum, latitudo octo  
cubitorum censebatur, cuiusmodi binos, unum in  
Campo Martio comminutum dissectumq;, alterum  
in Vaticano etiam nunc stantem uidemus Romae  
Augustorum opus. Sed ab iis Mausoleum sua ma  
gnitudine, & excellētia me auocat: Hoc sepulchrū  
ab uxore Arthemisia institutū Mausolo Carię Re  
gulae auctore auctro & Scythione sexagenos ter  
tes.



nos pedes, longius a frontibus toto circuitu pedes  
ccccix. attollitur in altitudinem. xxv. cubitis, cingi-  
tur columnis marmoreis ex hymeto. xxxvi. ab Ori-  
ente Scopas, a Septentrione Briax, a Meridie Timo-  
theus, ab Occasu Leocares celauerunt, priusq; q̄ to-  
tum perficeretur opus, Artemisia coniugis impati-  
ens desiderii mortem obiit: nec tamen recesserunt,  
nisi perfecta re, marmorarii, quibus quintus accessit  
artifex, qui supra Pterō Pyramidem. xxv. etiam cubi-  
torum longitudine. xxiv. gradibus in metæ cacumē  
se contrahētem adiecit in summo quadrigam mar-  
moream fecit Pitis. Sed a Peregrinis substructioni-  
bus opera Romanorum vicissim diuersum me tra-  
hunt, Quorum tanta fuit construendis tumulis su-  
perbia, vt præter moles Regias delubra Diis mani-  
bus sacra proprios Sacerdotes Bibliothecas, & luc-  
cos insuper adderent. Cæterum tria fuisse monimē-  
torum genera, quæ omnium iudicio excellerent, no-  
bis ex iis, quæ supersunt, antiquitatibus satis est ex-  
ploratum: Metā quippe, quadrato lapide Tybur-  
tino portæ contiguam trigeminæ magnifice satis  
extructam vidimus: Moles Adriani Principis  
ex quanta fuerit, reliquiæ nos docent: Metellorū cip-  
topus ad secundum ab vrbe lapidē in se oculos vltro,  
in citroq; comeantium conuertit: quid si ornamenta,  
rūsigna, lucos, & cætera id genus consentanea, quæ sin-  
gula connumerare longum esset, oculis conspiciere  
na: certe nihil magnificentius, nihil excellētius de-  
rūsideraremus. Testantur adhuc insaniam Romano-  
rum veterum tabulis marmoreis impressi caracte-  
res, quibus docemur, quantum soli ius Sepulchri in



longitudinem, latitudinemque mortalibus abstulerat, & quasi cineribus defunctorum compositis adhuc superesset sensus præter ascripta sepulchro nomina suos hæredes verabatur, reliquias posterius obuentium longioribus hisce literis eodem monumento condere. H. M. H. N. S. quibus, ne instituti hæredes sequerentur hoc monumentum, cauebatur. Erant præterea conuenis, & peregrinis loca sepulture publicitus data, quæ dicebantur.

Quoniam extra causam vagati satis videmur receptui iam canentes, quod superest, bustorum inscriptiones, quæ apud te sunt, recensamus, cum prius, qui sint genii, lares, vmbrae, laruae, manesque dixerimus, & iis, cum legitimorum ritus sepulchrorum factis executi fuerimus, cenotaphiorum, & iniiciendi pulueris rationem coniunxerimus, Ut igitur primaqueque exequamur, genius humane nature Deus est, qui custodia nobis nascentibus attribuitur, siue qui secundum Cæberem Thebanum nascentibus præsit, alii alios esse genios dicunt, quos lares eosdem dicentes in

Genius

Laruae

Lemures

Manes

etiam diuidant, Sed lares domesticos, & propitios tantum deos scimus esse, quibus laruae noxia numina sint, maxime contraria: Nam lemures, & vmbrae vagantes anime defunctorum ante mortis legitimum die a Remo deducuntur, cuius vmbrae occisi frater Romulus cum in animo haberet placare, lemuria instituit, quæ mense Maio per triduum celebrarentur: Unde nubere hoc mense, quod & nos usurpamus, religio fuit. Porro manes, id quod superest, alii deos

vel propitios (nam bonum manum dicebant)



esse contendunt, nonnulli manes  
ad deos infernos, ac noxios putant: sunt qui manes  
animas corporibus exutas, quæ nondum in alie  
na corpora migrarint, & ideo noxias dicant: Ego si,  
quod meum sit iudicium, libere debeo producere,  
deos manes inferos censuerim, tantisper enim dum  
viuimus, superis addicti sumus, mortui ad inferos  
pertinemus: Vnde D. M. S. in Sepulchris pas  
sim legitur. Proinde superis, dum viuimus, omnia  
accepta referamus, quippe qui a Sole spiritum, a Lu  
na corpus, a Marte sanguinem, a Mercurio ingeniu  
m, a Ioue desiderium, a Venere cupiditates, a Satur  
no humorem mutuamur, quæ singulis rursus, dum  
morimur, singula reddere videmur: Diti patri, cuius  
ditioni non solum loca tartarea, verum etiam tota  
tellus cessit soluto in cineres cadauere, & secundu  
m priscorum sententiam delata ad inferos anima tan  
tum post mortem debeamus, & quoniam apud an  
tiquos hæc opinio inualuerat nullas posse insepul  
torum animas trans stygiam paludem, nisi cōfecto  
ab interitu centesimo anno deferri, Sed errare mœ  
stas, essetq; summus labor post prælium cadauera  
suorum ad sepulturam discernere, nec fieri posset,  
vt naufragos consequerentur, excogitauerāt veram  
cenotaphio sepulturam repræsentare (quamuis ob  
seruauerimus etiam legitime defunctis, sepultisq; ce  
notaphia adhiberi, vbi & iusta peragerent, & singu  
lis annis parentarent) & vt terram ter defunctos cō  
clamantes, ter iniicerent. Terræ autem iniectio, se  
cundum Pontificalem ritum, poterat fieri, tam circa  
cadauer, q̄ eo absente, peractis quibusdam solemnibus

bus sacris : Quos quidem commentitios, & adumbratos humani ritus non minus valere, quàm legitimos, arbitrabantur : fuere etiam Cynici, qui sepulturae omnia peræque genera contemptui haberent, & funera defunctorum propinquis potius solatio, quàm quod quidquam apud inferos proficerent, instituta censerent : At Epicurus in his quos risus faciebat, sed iniecto pulveri nihil necesse erat, quod huiusmodi rem, & officium testaretur, relinquere : quam ob rem cenotaphia tantum, verique tumuli se se nobis ingerent. Porro cenotaphium vacua sepultura est, monumentum, non tantum de sepulchris, quàm de quacunque re, quæ mentem moneat, usurpamus. Sepulchrum vero, quasi seorsum a re pulchra, dicimus. Quid etenim tetrius, aut horribilius mortuorum recordatione, ne dicam aspectu, nobis se se offert ! Nunc autem, quæ in Xysto sunt Epitaphia, stilo persequamur, cum duas prius urnulas pro fonte sane bellas, quæ fluminum cornucopiis arte miramantes aquas suscipiunt, quasi per trasennam stricti aspexerimus.

D. M.  
CAECILIAE PRIMILLAE  
VIX. ANN. XV  
Q. CAECILIUS ANTHVS  
LIB. ET CONIVGI

R M F



dum  
gitis  
pul  
rent,  
atio,  
ituta  
ebat  
ismo  
n ob  
obis  
est  
tum  
nus  
dici  
uo  
of  
hia  
for  
nir  
am

**Q.** Cæcilius Anthus in vxorem duxerat Primil  
lam libertam candore, & eximia pulchritudine eius  
dem plectus, quæ immatura morte præuicta a con  
iuge, eodemq; patrono, hunc tumulum sibi fieri me  
ruit, quod pluries in sequentibus obseruabis. Porro  
Cæciliorum familia a Cæculo Prænestinorum Re  
ge, siue a Cæcilia Serpente dictam ferunt; sunt qui  
a **Q.** Metello Cæco Pont. Max. falso denominatã  
velint. Hic dictus quasi flos ex Metellis  
non habet. Sic autem interpretamur has literas,  
Diis Manibus Cæciliæ Primillæ sacrum est Sepul  
chrum, quæ vixit annos XV. Quintus Cæcilius  
Anthus libertæ, & coniugi bene merenti fecit.


Cæcilia  
familia.

L. GRANIVS. L. LIB.

BABNEVS

VIX. ANN. XCVI.

Eiusdem generis est hoc Epitaphium: Sed vt  
antiquorum mos magis innotescat, quando seruus  
ab hero fieri liber merebatur, post acceptum, de raso  
capite. pilcum cognomen patroni pro nomine sibi  
vsurpabat, nomen quod fuerat, in cognomen verte  
bat. Vt Tiro, qui nonnquam M. T. Ciceroni ser  
uiuerat, posteaquam desit esse seruus M. T. Tiro  
dici ceptus est. Pari modo. L. Granii libertus, dum  
seruus erat, Barneus tantum dicebat, libertus postea  
L. Granius Barneus est dictus. Itidem fiebat, quãdo  
quis moriens onerosam hæreditatem testamento le  
gato. quæsi. inuenirentur quispiã qui vela



Lucii q.

let propter grande æs alienum, summasq; sollicitu-  
dines, eandem addere: tum si quis eam eæ feruorū  
familia suscepisset, is datis vadibus in se transfere-  
bat hæreditatem, ex quo & libertatem tacite, & no-  
men, nec tantum nomen, sed & gentilium cognom-  
en vsurpans, se pro legitimo hærede gerebat. Ex-  
trinsecus autem assumendum est, hic iacet. Lucios  
quidam putant dici, qui luce appetente nati sint, No-  
mina barbara, vti Barneus, omni (mea quidem sen-  
tentia) interpretatione vacant. Granius vero a gru-  
nitu deduci videtur, videlicet, quod primus, qui hoc  
cognomine notabatur, præesse nimium loqueretur.  
Graniorum autem familię meminit Varro, seruilis  
fane conditionis est, quod sequitur, quare cum sua  
testa tacitum pene relinquamus.

D. M.  
DAPHNAE VIXIT ANN.  
XX. EVEEMVS CONIV-  
GI SVAE CARISSIMAE  
FECIT

Laurus est, inde Daphnae nomen proprium.

frag GELLIA. SPV. F mentum  
FELIX MVNATI




titu  
orū  
ere,  
no  
no  
Ex  
ios  
No  
fen  
gru  
loc  
ur.  
ilis  
ua

Gellia dicta est a verbo græco rideo  
addito. L. Ceterum Gelliorū familia nobilis apud  
antiquos fuit. Spurii vero dicuntur illegitimo coitu  
nascentes, sed sane pro virili ab iniuria temporum  
hoc cepitaphion vindicemus.

GELLIA SPV. FILIA  
FELIX MVNATII  
PLANCI  
CONIVGIO SI VIXIS-  
SET HIC IACET  
VIX. ANN. XIV.

Munationum namq; familia Romæ in maximo  
censu semper habita Planci postea cognomen vsur **Planci**  
pauit: nam Planci dicuntur, qui depressas nimium  
plantas, & quasi plancas, idest, tabulas habent.

D.  
POPILIAE. C. F. SATVR  
NINAE  
C. SEPTIMIVS ALEXANDER  
CONIVGI. B. M. FECIT  
CVM QVA VIX, SINE QVERELLA



Lucii q.

let propter grande æs alienum, summasq; sollicitu-  
dines, eandem addire: tum si quis eam eæ seruatorū  
familia suscepisset, is datis vadibus in se transfere-  
bat hæreditatem, ex quo & libertatem tacite, & no-  
men, nec tantum nomen, sed & gentilitium cogno-  
men vsurpans, se pro legitimo hærede gerebat. Ex-  
trinsecus autem assumendum est, hic iacet. Lucios  
quidam putant dici, qui luce appetente nati sint, No-  
mina barbara, vti Barneus, omni (mea quidem sen-  
tentia) interpretatione vacant. Granius vero a gru-  
nitu deduci videtur, videlicet, quod primus, qui hoc  
cognomine notabatur, præesse nimium loqueretur.  
Graniorum autem familię meminit Varro, seruilis  
sane conditionis est, quod sequitur, quare cum sua  
testa tacitum pene relinquamus.

D. M.  
DAPHNAE VIXIT ANN.  
XX. EVEEMVS CONIV-  
GI SVAE CARISSIMAE  
FECIT

Laurus est, inde Daphnae nomen proprium.

frag GELLIA. SPV. F mentura  
FELIX MVNATI



Gellia dicta est a verbo græco rideo  
addito. L. Ceterum Gelliorū familia nobilis apud  
antiquos fuit. Spurii vero dicuntur illegitimo coitu  
nascentes, sed sane pro virili ab iniuria temporum  
hoc epitaphion vindicemus.

GELLIA SPV. FILIA  
FELIX MVNATII  
PLANCI  
CONIVGIO SI VIXIS.  
SET HIC IACET  
VIX. ANN. XIV.

Munationum namq; familia Romæ in maximo  
censu semper habita Planci postea cognomen vsur **Planci.**  
pauit: nam Planci dicuntur, qui depressas nimium  
plantas, & quasi plancas, idest, tabulas habent.

D. M.  
POPILIAE. C. F. SATVR  
NINAE  
C. SEPTIMIVS ALEXANDER  
CONIVGI. B. M. FECIT  
CVM OVA VIX. SINE O VERELLA

## ANN. XLV.

ET SIBI ET SVIS LIBERTIS  
LIBERTABVSQVE SVIS PO  
STERISQVE EORVM

IN FR. P. VIII. IN AG. P. III.

Pompi-  
lia fa.

Exilior hic tumulus, quam tantis nominibus, & cognominibus par est, tantum patet in fronte, idest in via, pedes octo, in agrum, idest, in recessu, & introrsum, pedes tres. Sed Pompiliorum gens, quos & Popilios dicunt a Numa Pompilio deducta creditur, qui & Calphurnii a Calpo Numæ filio, & Pisones a ferendo piso nominantur, sunt q̄ Cicerones a Cicere deductos crediderint, maiores enim nostri, sicut Catoni placet, plurimum agriculturæ tribuerunt, eximieq; se laudari credebant, cum strenuum agricolam, bonumq; colonum de se audiebant, hinc cognomina superius illata fluxerunt, Nam quod Cicerones a caruncula in summo naso ciceris forma pendente dicti sint, tralatitium videtur. L. vero Saturninus cum. C. Glautia tyrannidis affectatæ Romæ poenas dedit, a quo hæc Saturnina fortasse fuit oriunda, cuius tumulum Octavii Principatu constructum fuisse, quibusdam coniecturis facile adducor, vt credam, omnia Romanorum veterum nomina vna duabus ue, aut ad summum tribus literis designant, vt. C. Caius. Cn. Cnæus Spu. Spurius des.



designatus dicitur. J. vero Caiam significat, sed Caius, quamuis scribatur per. C. sicut & Cnaeus per. g. tamen utrumque nomen pronuntiatur. Caeterum Caiam dominum Caiam dominam, Pores seruos, sicut Marcipores, Publii pores. Vetustissimi Romanorum protulerunt: Septimus siue Septimius, quod Septimo partu esset ortus, Alexander quasi seruator hominum graece dicitur: Annotandum, quod in Quintiliano legitur, antiquos, scilicet, Alexantrum non solum scripsisse, verum etiam pronuntiasse. Verum, quam ob rem querellam per geminum. L. scripserit, nulla urgente causa, sane non dispitio, porro non tantum querella mortalium dicitur, quam omnium ferme animalium. Vergilius, cum de bos bus loqueretur.

Atque omne querelis impleri nemus. Item alibi. Et veterem in limo ranæ cecinere querellam.

Quod reliquum est, coronæ Phyllira nexæ simulacrum superficie insculptum, C. Septimium valde coniugio Saturninae delectatum fuisse nos docet. Qui sequitur, tumulus a Laeto quodam plebeio, seu potius inquilino benne nummato tamen, ut ex hoc epitaphio colligitur erectus mendis haud vacat.

D.  
LAETVS PUBLICVS POP. ROMANI  
AQVARIVS AQVAE ANNIONIS  
VETERIS CASTELLI VIAE  
LATINAE CONTRA DRACONES  
ET FLAVIA DIONYSIA FECE



RVNT SIBI ET AVLIAE  
 ARGYRIDI  
 FILIAE VIX. ANN. XXIV.  
 M. II. D. VIII. ET LIB. POS  
 TERISQVE EORVM  
 H. M. E. N. S. ET DOLVS  
 MALVS ADESTO, ET  
 CALVENTIAE                      TINAE ITVADI  
 AMBITV                              VMENTI PERTIN

Nam, & Annionis, cum Anienis debuisset dice-  
 re, quamuis Ennius Anionem protulerit, & haere-  
 des sine, h, scriptum reliquit: tametsi aspiratio qua-  
 dam tēpestate, qua fortasse sculpta sint haec, minus,  
 ut ait Quintilianus, in usu fuerit: Quod vero postre-  
 mum praeterquam q̄ non integrum, etiam subditis-  
 tium videtur: Nam per Deos immortales quis vn-  
 quam in inferiori proiectura stylobatis literarum  
 quidquam in (antiquis dumtaxat) celatum vidit?  
 quid quod quamuis aliquid addideris, nullus tamē  
 sensus saltem tolerabilis elicī potest. Sed, ut quam  
 suscepimus provinciam sine stomacho trāsigamus,  
 Aedilibus curulibus edēdorum populo munerum  
 fartorum tectorum, viarum publicarum instauran-  
 darum cloacarum, necnon aquæductuum, & huius  
 modi publicarum rerum conseruandarum negotiis  
 um dabatur, qui quoniam tantæ provinciae per se  
 sufficere non poterant, quosdam mortales ordinis  
 infimi, praesertim deriuandis aquis qui procurarēt,  
 quæ in rem essent, sibi assiscebant. Ex iis erat Lærus,



qui Anienis veteris (nam nouus æque fornicibus  
in urbem producebatur) Castellum e regione tem-  
pli Solis in via Latina procurandum receperat. A-  
quarius venalem Populo Romano frigidam stipe,  
seu calidam, aut vtranque ministrabat. Vnde Iuue.  
Si nihil est, veniat conductus aquarius. Martialis  
Iam defecisset calidam portante ministro.

Aquari  
us.

Aqua ioli sunt etiam meretricum nequissimi as-  
sectæ. Sed Lætus hic erat, nimirum ex ædilitiis pro-  
curatoribus aquæductuum: Castellum porro non  
tantum muris septum, manuq; munitum locum di-  
cimus, quantum defluentium e fornicibus aquarum  
capaciorum, munitiorumq; receptum, ex quo per Sym-  
phones, tubas, & fistulas, plumbeas, fictiles ue pri-  
uatorum domibus aqua inferebatur. Sed enim fue-  
runt silice stratae in vrbe Roma, forisq; plurimæ viæ,  
quarum celebratissime Apia, Aurelia, Flaminia, La-  
tina, quæ in latium ferebat, viam vero, quasi veham  
dici, Varro prædicat, contra Dracones locum dixit,  
cuius ex aduerso erat castellum huiusmodi, aut a Dra-  
conibus simulachro Laocoontis inherentibus, quod  
quidem simulachrum ibi fortasse tunc steterat, sic ap-  
pellatum, aut quod magis probamus ibi Solis delu-  
brum fuit, quippe quoniam binos angues in orbem  
conuolutos summam caudam vicissim mordicus  
tenentes symbolum fuisse Solis ab auctoribus ido-  
neis didicimus: in summa Romæ locus dicebatur,  
(sue compitum hoc fuerit, aut angiportus, seu pla-  
tea minus laboro) ad dracones, vt ad geminas Lau-  
ros ad Malum aureum, ad infimum argiletum, ad fis-  
cum riminalem sæpius ibidem loca fuisse legimus,

siue vias, quas hodie non agnoscimus, nec mirum,  
sublatis signis, a quibus nomen acceperant, & tem-  
plis funditus euersis, propeq; steterant: sed de iis ha-  
ctenus. Quod superest, Flauii a colore capillorum,  
vnde & Pyrrhi apud Græcos, sicut a Dionysio, idest  
baccho Dionysia dicuntur. Hæc autem vxor istius  
Læti fuisse videtur, Argyris vero filia ab argēto de-  
ductum nomen: nam Græci argen-  
tum Latini dicunt, & ne quam fraudem sepulchro  
molirentur heredes, Iureconsultorū verbis est vsus,  
Dolus Malus Abesto. C. Aquilius, quem collegā  
Cicero suum dicit, legem tulit de dolo malo, a quo  
cum quæreretur, quid esset dolus malus, respondit,  
cum esset aliud simulatum, aliud actum. Enimuero  
sensus sic habet, Ne quis sub prætextu alicuius cau-  
sæ, vel optimæ cineres audeat alienos, huc afferre.  
Reliquum, quidquid legitur, adulterinum est: quod  
si quis legitimum contenderit, non repugnabo, mo-  
do ne sic legatur. Quid si sic corrigeremus? Et Cal-  
uentiæ Metinæ intra aditum ambitus primi monu-  
menti pertinebit: Nam vt Romæ ad portam Fla-  
miniam in colle ad leuam conspicati sumus, non  
vna eademque solida mole monumentum consta-  
bat, sed qui maximo eā complecteretur ambitu, pari-  
es addebatur, inde eliciet hic sensus, vt Caluentiam  
Læti patiat Vrnæ sibi parare intra parietem pri-  
mi ambitus prope vestibulum. Caluentiorum autem  
familiam, (a caluitie dictam fortasse) Placentiā cō-  
migrasse ex brachacta gallia Ciceronis inuectiua, in  
L. Pisonem nos admonet. Hic vero tumulus elegā-  
tior, & ab omni labe remotior, nec minus integer

Caluen-  
tiorū fa.



sic habebitur. Dis Manibus Lætus publicus Populi Romani Aquarius, procurator aquæ Anienis veteris castelli, vie Latinæ, contra Dracones, & Flavia Dionysia fecerunt, sibi, & Aulæ Argyridi filiæ, vixit annis vigintiquatuor, mēsis duobus, diebus octo, & Liberis, posterisque eorum hoc monumētū hæredes ne sequantur, dolus malus abesto, & Caluentiæ Metinæ intra aditum ambitus huius monu-  
menti pertinebit. Quid sequitur, tumulus, seu potius fragmentum, nullius est ferme momenti; liber-  
tinis manibus consecratus.

SEPTITIA

frag

mentum

.A.L.

LAUDICE


S. colliberta Laudice sepeliuit, hęc Septitiam. A.  
Libertam.

L. ARQVINVS

PHOEBVS.

V. A. V.

Infantis est tumulus, qui vixit annis quinque,  
autem Lucidius interpretatur, vnde est  
Apollinis perpetuum epitheton apud Homerum.



VENVLEIA. C. L. VINDIS  
 FECIT SIBI, ET SVIS  
 DAMA TOR. L. CERVNTA  
 VENVLEIA. O. L. NANIS  
 A. TOBLITIVS, A. L. PHILO

Urna hæc, siue sepulchrum quatuor colliberto-  
 rum cineribus patet, nulla sane venustate, aut litera-  
 rum elegantia.

N. COSSVTIVS  
 PHILOMVSVS  
 SSVTIA CN. L. AGRIS  
 frag mentum  
 COSSVTIVS CN. L. PLEBS  
 COSSVTIVS PLEBEIVS  
 SSVTIA CN. L. MELLITA.

Hoc Epigramma sic restituendum censemus.  
 Cn. Cossutius Philomusus, Cossutia Cn. liberta  
 Acrisione (quamvis & acris staret, ab acri fluuio Ita-  
 liæ deductum) Cn. Cossutius. Cn. libertus plebs.  
 Item Cossotius plebeius Cossutia. Cn. liberta Mel-  
 lita hic iacent. Cneus Cossutius primo loco descri-  
 ptus, ex ordine Equestri, Romanus fuit, reliqui  
 eiusdem liberti, libertæque. Tres ordines Po-  
 puli Romani pridem fuisse, satis comperum ha-  
 bemus. Primum omnium Senatores erāt, qui & pa-  
 tritii, a cura, & ætate sic dicti. Secundum gradum  
 Equites sibi vendicabant, celeres etiam, trosulique di-

Tres or-  
 dines  
 Ro.




cebantur, quorum census **CCCC. MIL** : aris  
 ad minus erat: ii secundum legem Rosciam, quam  
 & Theatralem alioqui dicimus. Sedebant in **XIII.**  
 ordinibus ab Orchestra in Theatro (Patritiorū is  
 locus erat,) super **XIII.** gradum reliqui, quot  
 quot erant ordines. Plebeculæ, quæ vltimum locum  
 tenebat, ad sedendum patebant: Sed Cnæus ob in-  
 signe neui dicitur, Cossutiorum familia sane cele-  
 bris, & antiqua Romæ habebat, utpote ex qua C.  
 Cæsar Cossuriam suam in vxorem duxerit: Cossu-  
 tii autem dicti sunt rugosi a cossis vermibus. Philo-  
 musus amator Musarum, Mellita quasi melle illita,  
 ac propterea suauissimis moribus, & eleganti venu-  
 taite libertam Cossutiam coniicimus: sed Cossuti-  
 um plebeium non Cn. Cossutii libertum, sed inge-  
 nuum ex plebe, si libet, possumus dicere, quod tamē  
 non placet.

Cn.  
 Cossu-  
 tia fami-  
 lia.

DONAE POMPONIA ES  
 DECIMO ANNO IN FOE  
 VITAM ET LVCEM REDI  
 NEC LICITVM ST, MÆSERAS.  
 frag mentum  
 MEIS REFERS CRVMVLAM  
 VERVM MEMORS ACERBAS,  
 IMMATVRA ABSTVLIT  
 DVLCISSIMA AVTEM ET SVAVIS

Reliqua propter cōminutum marmor legi haud  
 quaquā possunt. Tumulus Chelidonæ Pompo



niæ vxori a Pomponio erectus vndecunque muti-  
lus, & corrosus iniuria temporum, legitur, qui non  
minus elegantissimus, q̄ antiquissimus versibus co-  
micis septenariis vltimo semper iambo pede con-  
stabat. Quem nos adiuti epigrammata altero hu-  
iusmodi, quod Romæ nuper vidimus, sic, vt potui-  
mus, refarciendum curauimus, cui velim boni cons-  
ulas.

Defuncta Chelidone Pomponia est hic sita,  
Aetatis quintodecimo anno infelix, abicit:  
Quæ dulcem vitam, & lucem reddere morte mea  
Lubet, nec licitum est: Misera siccine taces?  
Nec lacrimis meis refers lacrumulam: metu  
An cessas: coniux verum me mors acerba satis  
Sit, quod & immatura abstulit complexu tuo,  
Nec te macera: Dulcissima autem, & suauissima  
Vxor tui Pomponi memor æternum vale.

Illud adnotandum priscos consueisse, i, pro, e, &  
e, pro, i, abuti, vt illud Quintiliani ex antiquitatibus  
relatum DEVOVE VICTORI, pro deu-  
uoui victore: sic & miserã, pro misera, posuit: nec  
minus, u, pro, i, quod in lacrumula, & decumo vide-  
mus. Item olim licitum est, pro licitum est, & pleraq̄  
huiusmodi, vt apud Plautum scribebantur.

IA.C.L.NARDIS

NN XXV. ET

A.C.L.SVAVIS

fragmentum

TER.

.P.

Mater



Mater Lydia.  $\zeta$ . L. Lydiae filiae libertinae tumulum  
erigit, qui sic integer fiet. Lydia  $\zeta$ . L. Nardiff. (que  
magis quam nardus oleret. Vnde stercoris nomen com-  
mentus est Terentius), Quae vixit annis. XXV.  
diebus octo. Lydia.  $\zeta$ . L. suauissimae filiae moesta  
mater. P. Scimus autem a Prouinciis, quibus essent  
oriundi, seruatorum deduci nomina. Hinc Dauus,  
Syrus, Phoenix, sic & Lydiae deductum nomen vi-  
detur a Lydia, quae & meonia prius vocabatur.

OSSA SITA SVNT  
SVNEROTIS. C. CALVI  
STOLONIS  
NOMENCLATORIS.

C. Calvi Stolonis nomenclatoris reliquiae hic ia-  
cent. M. Licinius Stolo de diuidendis agris virum,  
teste Liuius, primus Romae legem tulit, & primus ea-  
dem lege damnatus est, a quo forte Caluus hic Stolo  
fuit prognatus: Stolones dicuntur inutiles virgae,  
quae temere a radicibus arborum prodeunt. Hinc  
ciuem Tribulibus suis sane probatum, quod scilicet  
rusticos plerumque seruos vellendis in agro suo stir-  
pibus iis occupatos haberet, stolonem dixerunt: No-  
menciator autem assistens candidato nomina ciui-  
um, qui praesensandi foret, in memoriam redigebat,  
aut edocebat, superius memorauimus, non solum  
cineres cadauerum, sed & ossa, si qua flammis, super-  
fuerant, vltiores conuuisse in urna fictili, aut marmo-  
rea componere: proinde nobis ne sit mirum, si nunc

ossa tantum nulla cinerū habita memoria legimus: nam solebant præsci a re certiori cætera colligere, fieri etenim poterat, ut cineribus defuncti, aliqui etiam vstorum in curia admisceretur, quod in ossibus fieri non poterat. Quam quæstionem, seu controuersiam si voluerimus euitare, hunc peregrinum dicemus, ideoque non vstrinæ, sed sarcophago eius cadauer traditum: Quod & nunc in Vaticano, & prope Lateranensium ædes conuenis fieri videmus.

D. M.  
L. LIVII IVSTI. L. LIVIA  
PRIMIGENIA  
PATRONO OPTIMO  
SIBI ET SVIS  
LIB. LIBERTAB. QVE  
POSTERISQVE EORVM

In Tympano Tumuli corona ex apio pura elegantè admodum insculpta cernitur. Hinc L. Liuium victorem certaminis nemei a Græcis coronatū coniecturam facere possimus: Nam L. Claudium ab eadem adeptæ, Apii nomen inuenisse non est dubium, & genti suæ nomen Apii dedisse. Et quoniā solebāt antiqui maiorum suorum sepulchris eorūdem egregia facinora quibusdam notis insculpere, nō erit absurdum credere L. Liuium Patroni idem monumento factitasse, neque mihi sit verisimile, quod is diutissime vixerit, propterea L. Liuiam apium,



quod viuax dicitur, hic apposuisse: non enim fuisset in Patronum officiosa, quippe quæ eidem etiam sepulto eiusmodi commento nimium ætatem obiceret: Nam veterem, victumque solemus plerunque maledicendo vsurpare: siue Appio, quæ plena amaritudinis est herba. L. Liuia prius liberta, postremo (vt arbitror) coniunx. L. Liuii, quantum eiusdem obitus sibi mœroris attulerit, eleganter expressit. Aut certe, quod haud multum a superiori discrepat sententia, apio depicto sibi omnem post hac bonam fortunam, iucundio remque vitam morte eiusdem sublata esse Liuia liberta testatur: Nam coronas ex apio conuiuuiis apponebant, vt eius odor temulentiam compotoribus auerteret. Cæterum hæc herba, quæ Græci dicunt, non solum domestica, sed & agrestis inuenitur. Porro Liuiorum familia M. Liuiio Salinatore, qui Hasdrubalem satis fratre notum, clanculum sibi suppetias, ferente Claudio Nerone collega, apud Methaurum flumen cum maximo exercitu cecidit, plurimum gratiæ, & splendoris additum est. Primigenia dicitur primogenita, primigenia sunt etiam prima mundi semina, quas a thomos Epicurus voluit. Sed hæc Cicero de natura Deorum libro prima naturæ, Græce

appellatur, Romæ etiam delubrum steterat. Fortunæ primigeniæ, quæ Antii præsentior habebatur. Herum, & seruum, Patronum, & clientem, Patrem, & filium, & huiusmodi multa ad aliquid dicta nomina Grammatici volunt: Nam neque filius sine patre, neque patronus sine cliente, neque seruus sine heroo, neque vxor sine marito esse, aut dici pos-

sunt: Sed nos ad alia pergāmus.

In piscina hos tumulos obseruauimus, quorum primus dimetro iambico constat.

ANTHVSIA  
CHIAESFILIA.

Est autem sermo a patre moesto, vt intelligatur, quæ hic iacēs, pōtō Chia ē Chio insula, quæ est in mari Aegeo, quod nomen, cum substantiuum est, primam corripit: secus, cum adiectiuum: est etiam chius ternarius numerus in talis. Sequens Epithasium sic se habet.

VALERIVS AVGVSTA  
LIS VIX. AN. VI. DIE.  
XXVI. FECERVNT PA  
RENTES, VALERIVS  
HERMES, ET VALERIA  
LASCIVA

B.

M.

Est autem infantis tumulus, Valerius Valesius, teste Cicerone, prius dicebatur, sicut Papyrius, Papyrius, Augustalis ab Augusto, Augustus ab auugustu. Sequens tumulus nullius momenti est, sed apposuimus tamen, vt aliorum iudicio subiiceremus. Hic nec nomen filii deprehenditur, nec nomina sunt Romana, nec characteres ferri possunt. A quod sequitur est cenotaphion filii a matre vidua.



D.

M.

ALETVS ET  
AELIAS PAREN  
TES FILIO BENE  
MERENTI FECE

SEIA SVCCESSA  
SIBI ET  
SVCCESSO, F. V. A. XXVI.

D.

M.

GN. TVRPILII AGATHOPI

Hoc vas ex marmore cui non antiquorum sua  
elegantia præferam: nec huic quidem præter opera-  
culum quicquam desideramus, in quo cineres Cn.  
Turpili Agathopi quondam continebantur. Erat  
autem Turpiliorum gentis a turpi figura dictæ mo-  
numenti vas tanquã Acrocoterion. Cæterum Cne-  
us a cognomine multum deflexit, quippe  
bona, idest, pulchra facies græce dicitur.

P. MANILIVS EVMOL  
PIDES  
ONESAS ET FAVS  
TVS  
PATRONO BENE  
MERENTI



Publius  
vnde.

Hoc nimirum est cenotaphion : Nam P. Manilius Emolpides Centurio Primipilli, quantum ex Aquilis bicipitibus vtrinq; pro sepulchro positis coniecturam fecimus, in prelio occubuerat: Quam ob rem meruit in vrbe Roma, hoc est in patria, sepulchrum sibi vacuum ab Onesæ, & Fausto libertis excitari. Publius autem, siue Poblius, quasi publice, id est, a populo dilectus dicitur, Manilii vero nomen militi consentaneum manu promptum interpretamur. Emolpides ab Emolpo Musei poetæ filio, Sacerdotem etiam, & Athenarum Magistratum in memoriam Regis Emolpi institutum significat : sed Onesam Agasonem : nam Asinus est, recte videmur posse dicere.

ALFEIA. R. L

frag

mentum

FAVSTA

Rutilii  
vnde.

Hic tumulus, meo iudicio, vt integer fiat, his verbis eget. Alfia Rutilii liberta, & Fausta mater hic iacent. Alphius fenerator Octauii temporibus, a quo hæc Alphia forte fuit, scimus vixisse. Ceterum Fausta L. Cornelii Syllæ felicis filia nobilis non tantum genere, sed & adulteriis, T. Annio Miloni nupsit. Hic M. T. Ciceroni plurimum deditus, C. Crispum Salustium historiarum scriptorem in adulterio coniugis deprehensum flagellis cecidit. Rutiliorum vero familia patritia a colore rutilo capillorum dicta plurimum factione, & auctoritate potuit, quæ res ef



sicut, ut saxum, quod Verone legimus, nos minus piget recedere, & quod potissimum duximus, ab hoc haud multum discrepat.

VETO RELIQUIAS  
Rutilia Salphea. P. Rutilii vxor. H. I.  
AFF. coniunctiss. Cor. Fausta. F. C.

ÆMILIA PAULI LIB.  
ARISTONICE  
VIX. ANN. LXX.

Aemilio generi, neque antiquitatis quidquam, neque diuitiarum, neque splendoris inter suos addi poterat. Romæ nobiles multa clietium factiosorumque caterua stipati Aemilii per plateas, & vicos incedebant, apud externos tantum poterant, ut antiquorum suorum tropheis, & monumentis elati, nullum sibi parem ne dum maiorem cognoscerent. Hinc Aemilia, Prouincia Italiae, quam Romandiolam hodie dicimus, Hinc Aemilia via, & Aemiliana ædificia fluxerunt. Ut ad rem reddeam, plurimum a tribus. L. M. C. Aemiliis Paulis hæc familia splendoris accepit, qui quidem Pauli, aut quod essent statuta plerisque parui, siue quia in se ducerent sita omnia, nec alterius ciuis adminiculo ad ea, quæ concupierant adipiscenda indigerent, aut essent exili voce, canora tamen, quæ est, dicebantur. Aristonicæ vero, quæ & si lubet, optimam victoriam dicamus. Aristonicus etiam Annibali, & Barthinæ factionis complicibus plurimum, ut in histo

Aemilium genus.

riis constat, fauit: eiusdem nominis Rex a Romanis debellatus fuit, a quibus omnibus hanc alieniorem, utpote libertinam censemus.

D. M.  
T R E P T O V I X .  
A N N I S X V I  
F E C I T .  
T . E G N A T I V S  
C E L E R

Vernæ tumulum, T. Egnatius Celer faciendum curavit. Veteres ferme omnes alicuius momēti, Partitiq; potissimum ordinis, trium literarum censebantur, quibus nomen, agnomen, & cognomē notabantur. Vnde Plautus, cum in comœdia quempiam nobilem simularet se velle dicere, & re vera fur esset, homo es trium literarū dixit. Hinc autem huiusmodi nominum abbreviationes inventæ sunt, ut Notarii, siue Scribæ, qui scribendis S. C. adessent, dicentium voces manus celeritate, & huiusmodi notis assequerentur. Cæterum mutabilis est optimum Vernæ nomen, quos etiam procaces appellat Horatius. Titi dicti sunt Reip. propugnatores, quasi tituli, siue a Titulo, quod est honore. Egnatorum familia Romæ Equestris honesta, nec minus antiqua, quasi e Gnatia ciuitate Calabriae oriunda dicitur. Celer Eques Romanus, siue celer, quod esset æqualium ferme omnium celerrimus: Vnde Q. Metellus Celer: Plurimi namque nobilium Romani

Titus  
vnde.



manorum a cibis, quibus libentissime vescerent,  
vt Oratae, Lupi, a colore, vt Galbae nigri, Syllae ab  
aetate, vt vetus a veste, Lenates, penulae, a prouinciis  
quas deuicerant. Creticus Balearicus, Africanus a  
forma capillorum, Cincinati crispi, a morbis, stru-  
ma, scapula a magnitudine, siue ab habitudine cor-  
poris, longi, crassi, Ruffi, Sauiolae, a membro aliquo  
maiore, q̄ pro magnitudine ceteri corporis, Chilo-  
nes, frontones, capitones, a similitudine forme, spin-  
ter, ab obtutu, & vitio visus, oculorum ue, Peti, ceci-  
lii, orbilii, strabones, a cruribus vitiosis, Valgi, scau-  
ri, a fortuna nascentium, Vopisci, caesones, agrippae,  
posthumi, cordi, a sapientia, prudentia ue, Catones,  
corculi, cati, a forma capitis oblonga, Tuditani, a ce-  
leritate celeres, a sacris curiones, camilli, flaminii co-  
gnominabantur. Sexcenta praeterea huiusmodi  
cognomina legedis priscorum libris inuenies, quae  
omnia nunc commemorare non est operae pretium.  
**DORVS CAESARIS** ¶ .i. Seruus per  
Aeolicum digama. Hic est titulus imagini Dori Cae-  
saris serui praestantis formae subiectus, qui sic fors-  
tasse dicebat, quod esset naturae eximium donum  
namque munus dicitur, siue a Dore  
regionae Graeciae, verum enimvero dicti sunt Cae-  
sares ab insigni caesarie, siue a caeso ventre matris, aut  
a caeso elephanto.

P. TVSCHILIVS ALEXAN  
DER



Hic, quantum ex hedera coniecturam feci, Poeta Tragicus, e Tuscia fuerat. P. Tuschilius plurimum leporis, & sapientiae suis carminibus praese ferens: quod vasa utrinque cum operculis collata faciunt, ut plane intelligamus, Tragicum poetam Baccho nimirum dicati hedera coronabantur, cuius rei testis est Vergilius in Bucolicis.

Pastores hedera crescentem ornate Poeta. Alibi. Inter victrices hederas tibi serpere Lauros.

Propterea hyrcō donabantur, utpote quod animal esset Baccho sacrum, & victima sibi gratissima quod amoliatur, & male habeat morfu vineas.

Hora. Carmine qui tragico vile certavit ob hyrcū

Vnde non immerito Sophoclem tragici Cothurni Principem defunctum sepelire Liber pater iussit, obsidentibus moenia Lacedemoniis Lysandro eorum Rege in quiete saepius admonito, ut pateretur humari delicias suas.

L. ANNIVS. L. L. L.

frag

mentum

EUTYCHVS.

Fragmētum tumuli duobus collibertis communis sic correximus, seu potius instaurauimus. L. Anniv. L. libertus. L. Lemnius Eutychnus hic iacent. Lemnius e Lemno Insula, siue gentilicium est nomen. Eutychnum dici felicem, superius e Graeco docuimus, quia bona fortuna est.



RUSTIA RTA ET

RUSTIA. D. L.

frag

mentum

CORINTHIS. F.

AN. VI. OS. HEIC. S.

Sic tumulus est in integrum restituendus. Rustia C. L. Larra, & Rustia. D. liberta Corinthis filia, viginti annis Sex, Ossa heic sita sunt. Larra de Larre Tullinnio Vcientum Rege deduci videtur. Corinthis a Corintho, patronimicum fœmininum, ac si diceret ex Corintho oriunda. Quæ sequitur. F. filiam significat, refert Quintilianus institutionũ libro primo, Verustissimos Romanorum consuesse, quotiens, i, longum inuenirent per, ei, græcam diphthongon scribere: & nos Veronæ, legimus DIVA VENEREI. S. diuæ Veneri sac.

A. POSTHVMIVS

Q. F. REGILLVS

SIBI ET FVLVIAE

CONIVGI

BENEMERENTI

V. F.

Hic Posthumius, ab A. Posthumio fuit oriundus, qui apud Lacum Regillum in Algido dictator Latinos, & Tarquinium Superbum acie vicit: Re





A cæsis oculis cæsia dicitur inde.

Porro libertinus hic tumulus alterum suæ condi-  
tionis affluit.

C. ANNIVS. O. L.  
THIASVS

Hic C. T. Annii Milonis filia ex Fausta liber-  
tus fuerat : quamuis ad hoc disquirendum Oedipo  
coniectore opus sit. Sed vt pergamus, qua cepimus,  
Annius ab Annio Errhuscorū Rege, qui submer-  
sus Anieni fluuio nomen dedit, aut ab Anio Deli  
Rege, de quo Vergilius adiuncta, n, deductus vide-  
tur, cuius familia nobilis, diues, & factiosa, quam-  
uis plebeia, Romæ habebatur. Cæterum T. Anni-  
us Milo in exilium propter P. Clodii interitum des-  
trusus fuit, inde per occasionem bellorum ciuiliū  
Cosam oppugnans saxo grauiter ictus caput occu-  
buit. Thiasū saltationes sunt, quæ in sacris Liberi  
patris adhibebantur. Inde Thiasum saltatorē pos-  
sumus dicere : quod quidem hominum genus fœ-  
minis optime congruit, quippe quoniam motus do-  
ceri gaudet ionicos matura virgo, nosti cætera.  
Quam ob rem mirū nobis non debet videri si hæc  
C. Annia matri & auia non dissimilis hunc Thia-  
sum non solum libertate donauerit, verum etiam  
mortuum tumulo ornauerit. Quæ sequuntur Epis-  
grammata pro pinnis portæ maioris legimus.

Anni-  
usvnde

fragmentum.

HIC LOCVS MONVMENTO CED.

D. M.  
T. ALPONTI ET VENUSTAE  
CORNELIA ANTIOCHIS  
BENEMER.

Mutilatum est hoc saxum, & Epigramma imper-  
fectum legimus. Quapropter, sic, ut potuimus, in-  
staurauimus. Hic locus monumēto cedit decre-  
to Decurionum. D. M. T. Alphii Pontii, & Venu-  
stæ fecit Cornelia Antiochis Benemerentibus. In-  
star huius saxi iam dudum in secessu Tyburtino, ad  
Veste vidimus: quā ob rem veremur ne inde subla-  
tum fuerit. Ut Iureconsultorum libris satis constat,  
quod sacrum fuerat, profanū fieri per priuatos nul-  
lo pacto poterat, alioqui grauis audentibus tale fa-  
cinus, multa irrogabatur, secus in profanis: Nam  
& Glycere apud Horatium Veneri consecrat ædē,  
& Phrinæ Athenis idem factitauit. Sed Cornelia  
de qua nūc sermo est, Dis manibus supradictorum  
consecratura locum, ut ratius haberetur, quidquid  
egisset, decretum Decurionum adhibuit: in munis-  
cipiis autē, coloniis, cæterisque Italiæ ciuitatibus De-  
curiones, qui Romæ Senatores habebantur: quod  
cum ex aliis scriptoribus, tū ex oratione, quæ pro Q.  
Roscio Amerino porauit Cicero, luce clarius per-  
spicitur. Quāuis Decurio sit etiam honestioris mis-  
litæ genus, cui decem Equites in armis præsto sint,  
decuria quoque scribarum dicitur. Perinde est ergo,  
ac si diceret. S. C. Iulii ab Iulo Aenææ filio ex Creu-  
sa, quem a prima lanugine sic dictum accepimus,  
propagatur. Sed Cornelia, quæ postea Scipionis co-

Iulii vñ



gnomen ab eo, qui cœco patri tanquam scipio astra  
bat, accepit, satis a rerum scriptoribus familia cele  
bratur. Antiochis ab Antiochia, siue Antiochi filiã  
significat: quam ob rem vere orne Cornelia, de qua  
nunc agimus, Romæ fuerit inquilina, ac propterea  
ab Antiochia peregrina. Quæ sequitur est tabella  
D. M. absentis cadaueris M. quondam Varenĩ  
dicata.

OLLAE, II. M. VARENI MA  
XIMI VARINIA, M. L  
ELEVTHERIS  
VIX. ANNIS. XX.

Aula, siue Olla fictili, idest, testa, cineres defun  
ctorum, quod superius enarrauimus, condebantur.  
Sed teste, quam antiquissimam nuper extra portam  
triumphalem refossam ab altius terram molientis  
bus Colonis Romæ vidimus, oculis tuis picturam  
subiicere ab instituto nostro non alienum puta  
uimus.

Crassitudinem testæ duorum digitorum censui  
mus.

Ansam intus stryatam obseruauĩ.

Altitudo erat pedum duorum, & dodrantis.

Diameter in summo ore semipedis, in ventre fere  
dimidio maior.

Muliebris torua facies cuius sit nescimus

**Longitudo P. S. B. literarum tres ferme dig-  
tos æquabat.**

Vtrinque erat eadem effigies, & literæ, quas sic inter-  
pretati sumus. Proserpinæ sacrum bustum: propterea  
**II.** idest, secundæ dicuntur, quod is Varenus dum  
peregre proficisceretur, immatura morte præuen-  
tus, prius in aliena terra tumultatus fuerat, deinde  
Romæ cenotaphion meruerat. Ollæ igitur secun-  
dæ dicuntur, quod iterato quodammodo illi fuerit  
excitatum sepulchrum. Varenorū familia in Eque-  
stri gradu se continuit, quamvis Latoclauro censu  
habūde sufficeret, vt ex Q. Asconio didicimus, que  
vtrā a Varris quous auctor huiusce sparsum os ha-  
buerat, an a Varicis fuerit denominata, parū cōper-  
tum habemus. Maximi plures Romæ diuersis tem-  
pestatibus vixerunt, liber interpretatur.

**M. TITINIUS M. MINUTIUS  
M. L. FELIX M. L. SALVIUS.**

Libertis duobus communis est hic tumulus. Sa-  
ne Titinia, & Minutia gentilitia Romanorum co-  
gnomina, an fuerint, nihil est quod ambigamus: ne-  
ex Minutia gente Magister Equitū Q. Fabii Max.  
Dictatoris aduersus Annibalem male pugnavit: &  
Q. Titinii Capitonis meminit in historiis Livijs.  
Dicti sunt Minutii forte quod min-  
ime, scilicet, tanquam minutia forent contemptus  
habendi, siue a Minutio deo, vnde & porta Minu-  
tia eiusdem contigua sacello.



D. M.  
MUNATIA PRI  
MIGENIA FECIT  
SIBI LIB. LIBERTA  
BUS POSTERISQVE  
EORVM

Bustu viuens sibi Munatia libertis, libertabusq,  
& posteris eorum. Bustum quippe etiam sepulchrum significat. Vergilius libro. xii.

Quæ sæpe in bustis, & culminibus desertis.

Nec enim tantum accipitur pro rogo, posteaq;  
is in cineres abiit. Cicero etiam orans pro T. An-  
nio Milone busti basylis, qui quidem locus latrocini-  
is erat infestissimus, meminit. Præterea T. Liuius  
Gallos solitos scribit, dum obsiderent Capitolium,  
pestilentia, qua tunc maxime laborabant, defuncta  
Commilitonum corpora intra portam Flumentas  
nam in via Flaminia defodere, quæ loca inde busta  
gallica dicta sint. Cæterum tu vide, ne potius Numa-  
tiam legas: Numatii. n. Planci, nō Munatii diceban-  
tur, quamuis alii aliter sentiant: Nos vero rem, siue  
controversiam tantum preduxisse contenti peritio-  
ribus integram relinquamus, & quæ superiunt stis-  
lo persequamur.

D. M.  
AELIAE  
CHARIDI  
CONIVGI



Miror, quid non addiderit (vt plerūq; fieri so-  
let) nomen suū coniunx auctōr huiusce tumuli,  
sed aut mœrore nimio consternatus sui pene ipsius  
oblitus erat : aut mutilatum marmor postea fuit in-  
stauratum, quod tamen nullis vestigiis apparet, siue  
marmorariorum fuit peccatum, aut (vt addā quar-  
tum) L. Aelium dictum fuisse a nomine vxoris cō-  
iectemur : quid aliud dicam, nō habeo. Aeliorum  
stemma a Lamo Formiarum Rege oriundum, vnde  
& Lamium dici ceptum, Larumclauum semper  
induit. Charitivero, siue Charidi perinde est, ac si di-  
ceret gratiam, vtpote quę omnium sua elegātia stus-  
dium in se conciliatum haberet, etenim  
apud Græcos, apud nos est gratia. Cæterum Gram-  
matici coniugem a coniungendo, sicut vxorem ab  
vngendis mariti postibus dictam putant. Tres au-  
tem in summo tumulo Rosas senis distinctas foliis  
obseruauimus, quibus Charitem vixisse decem &  
octo annis, & in ætatis flore mortem obiisse, foliis  
Rosarum commoti, satis commode videmur posse  
dicere.

MVRIAE LVCIFERAE  
VIX. ANN. V. D. XLII.  
MVAIA TRYPHOSA  
ALVMNAE SVAE FECIT.

Nutricis opus recensuimus, quę alumnā morien-  
tem tali (quod potuit) munere donauit : & nomi-  
na & cognomina redolent, nescio quam vernilitas



mus: Vnde ille Poeta, cuius pter auditū nihil habeo  
Cum reformidaret garum, duratos muria pisces sa-  
tis ridicule dixit. Tryphosa, delitiosa,  
delitiæ sunt, quod sane nomen nutrici cōuenit. Sed  
inepte, ne dicam imperite, marmorarii fecerūt, cum  
dies XLII. ascripserunt: dilucidius enim fecis-  
sent, si Mensem. I. D. X. celassent.

AUFIDIA. M. L.

BACCHIS

PIA IN SVIS SEMPER FVIT

Adnotandum in suis, non in suos, vt vulgo dixit  
se. Aufidiæ ab Aufido Apuliæ fluuio nomen dedu-  
ctum videtur. Aufidii etiam meminit Horatius in  
Sermonibus.

Aufidia  
familia

Fundos Aufidio Lusco pratore libenter.

Hoc autem (dicam, quod sentio) libertinum est  
opus, & meretriculæ fortasse: Nam & cognomen  
Bacchidis, & pia in suis semper fuit, scortum respici-  
unt. Quippe illecebræ meretricum propriæ.

Libero Veneri semper inhæret,  
vt apud Actium legimus.

D. M. IVLIO  
ANICHETO TROPHIMVS  
LIBERTVS PATRONO  
SVO BENEMERENTI  
CONSECRAVIT



Quid sibi ve'it in medio de industria marmor  
 apertum, non satis liquet, nisi forte  
 cenotaphii dixerimus. Trophimum vero nutritiū, si  
 placet, dicamus, qui græce profertur,  
 atque haud scio, an possit, latine quoq; tam qui nus  
 tritū qui educatur, alumnus appellari. Certe Græci  
 pro viroq; vsurpant. Plinius etiam  
 noster alumnam cæterarum prouinciarum Italiam  
 scriptum reliquit, cui qui reclamant, suæ assertionis  
 rationem ipsi viderint. Antiquus profecto tumulus  
 frugalitatem veterum Romanorum verbis præ se  
 fert, quem subiecitimus.

D. M.  
 LICINIAE CRATILLAE  
 Q. FABIVS PRIMIGENIVS  
 CONIVGI BENEMERENTI. F.  
 VIXIT ANNIS XXXX.

Licinii  
 vnde.

Licinii a Licinia (oleæ genus est) conferenda di  
 cti, qui postea Crassi, plurimum Romæ, Patritii fa  
 ctione valuerūt: nec minus Fabii æque Patritii ge  
 nus suum iactitant, ex qua familia, tanquam ex equo  
 Troiano innumeri duces prodiderunt. Inter quos  
 Q. Fabius Max. Annibalem iuueniliter exultantē  
 victoriis sua patiētia fregit: de quo p̄clare Ennius  
 Vnus homo nobis cunctando restituit rem.

Fabii  
 vnde.

Porro a ferendis Fabis, sicut a Lente Lentuli, Fa  
 bii dicebantur. Qui sequitur, ex marmore tumulus  
 cum maximo detrimento literarum bonarum, nec



non antiquitatis studiosorum comminutus iacet:  
quanta aut in eo iactura facta fuerit, reliquiae, quas  
subiecimus, nos docent.

fragmentum.

C. POBLITIVS . C . L . AM  
V. RVSTIA . C . L . M  
C. CLAVDIVS FAVSTVS . VI . VIR  
TEMPORE SUPREMO FAVSTE EST  
TIBI CVRA VIVENDI  
SI PERLEGISTI VENIAS LICET ET  
REQVIESCAS  
ANNIS ET REFVCIS FRVSTRA  
HAEC DOMVS HAEC REQVIES O  
MNIBVS VNA MANET  
HVC VENIVNDVM INQVAM

Cetera desunt. Est enim tabella marmorea ma-  
ioribus, minoribusque literis descripta, comminuta,  
& ab imbre male habita. Sane non inelegans nobis  
videbitur, cum literarum characteres, ductusque, & mar-  
moris genus contemplati satis pro re fuerimus: At  
nos nostro Marte hanc instaurauimus, an recte alio-  
rum sit hoc iudicium.

C. Poblitius. C. L. Ambustus, qui vixit annis  
V. Rustia. C. L. mater. Vix. Ann. XXXV. H. I.  
C. Claudius Faustus VI. Vir, Faciendum curauit.  
Tempore supremo Fauste est tibi cura viuendi,  
Si perlegisti, venias licet, & requiescas.  
Superiores duo versus hexametri sunt, & qui se

quuntur elegi.

Annuis, & refugis frustra, nam te auferet Orcus,

Hæc domus, hæc requies omnibus vna manet:

Huc veniundum, inquam, seu te cita corripit hora

Seu tremulum inficiet sera senecta caput.

Est tumulus, a. C. Claudio Fausto liberto, & ma-  
trici cōstructus. Ambustorum meminit Lilius in hi-  
storiis. Ambustus autem perinde, quasi circūquaq;  
vstulatus, colore nigro, subliuido, carne marie ad os  
sa depressa, seu pelle, potius dicitur, instar Archime-  
nidis Vergilianæ. Cæterum Claudiorum profapia  
ex patribus plebi semper infesta a Claudio Duce Sa-  
binorum nomen accepit, qui quidem post exactos  
Reges cum quinque milibus clientum Romam ve-  
nit, & honorifice susceptus vrbs partem patrum de-  
creto sibi concessam ad habitandum suscepit. Hinc  
Claudia Tribus deduxit. Longum esset connume-  
rare, quot illustres viros diuersis tempestatibus tulle-  
rit hæc familia. Sed altera fuit Claudiorum gens,  
quamuis plebeia, splendore tamen, & egregiis facis-  
noribus patritiæ minime cedens. Porro ii Marcelli,  
illi vero Apii dicebantur, seu Neronæ a fortitudi-  
ne. Vnde & nerinæ Pallada nuncuparunt. Ex iis  
fuerunt, qui sibi pulchri cognomen addiderint: Si-  
cut & hic Fausti. In omnibus municipiis, & colo-  
niis quot annis creabantur magistratus, qui in pa-  
tria summe rerum præessent, a numero appellati.  
Hinc. II. III. IIII. Viri. V. Viri. VI. VII.  
Viri Aepulonum (quamquam ii Romæ iustitue-  
bantur, vt præessent societatibus, Sacrificiisque qui-  
busdam) Quinetiam, qui X. crearint, & decem pri-

Clau-  
dia: fa.



mos a numero, & dignitate dixerint, inuēti sunt po-  
puli, vt ex Oratione Ciceronis pro Roscio Ameri-  
no didicimus. Hos hodie Priores, seu Conseruato-  
res dicunt. Fuerunt autem & XV. Viri Libris Sy-  
billinis inspiciendis, quo fit, vt non Romanum, sed  
Sabinum fuisse Faustum mihi persuadeam.

D. M. S.  
PEREGRINVS ET FELICVLA  
EVTHYCHIAE. F. SVAE  
B. M. E. V. ANN. VII.  
M. VIII.

Ancillulae sepulchrum a conseruis patre, & ma-  
tre sic tenuiter pro re sua constructum videmus: cer-  
te nomina seruitutem redolent: Nam Peregrinus,  
qui peregre victitat (& omnes serui fuerunt pere-  
grini) Felicula a fele dicuntur. Euthychia felix ni-  
mirum, quae morte graue seruitiū frustrata est. Sic  
autem interpretamur has literas. Diis Manibus Sa-  
crum, Peregrinus, & Felicula, Euthychiae filiae be-  
nemerenti erexerunt, vixit annis Septem, Mensi-  
bus Octo.

PILLA. C. L. CHRISTE

frag

mentum

A. MVNIVS ZOSIMVS

Veronae ad proculi huiusmodi Epitaphion meo

mini me legisse. Turpilia. L. F. Christe. H. I. fecit.  
M. Zosimus. in fr. P. VII. in R. P. X. H. M. H.  
N. S. Vnde patet plures fuisse tam Turpillas eo  
tempore, q̄ Zosimos. Christe, vncta: nam  
vngo. Zoinus autem quasi dicebantur.

M  
ANAE

frag mentum  
HELPIDIUS CONIV  
M

Hoc saxum sic instaurauimus.

D. M. Aeliae Nemesianae, q̄ vixit annis. XXX.

C. Helpidius coniugi benemerenti fecit.

Nemesiana a Nemisi dea, quae & Rhamnusia in  
gratos puniens deducitur spes, vnde nos  
men defluxit. Et haec pro pinnis portae steterat: nunc,  
quae in cauedio, exequamur.

D. M.  
M. VLPPIO PLACIDO AVG. LIB.  
TABVLARIO A RATION.  
MENSAE GALLIARVM SVC.  
CVS. CAPRIOLA PATRO  
NO BENEMERENTI  
FECIT.



Hic apponitur auctor huiusce tumuli, Cuspius scilicet Capriola, qui successor M. Vlpio Placido Praefecto, Augusti nomine vectigalibus publicis exigendis in Gallia Trasalpina eidem officiose iusta persoluit: Tabularii tabulis publicis, quae nos instrumenta vulgo dicimus, praesunt: tabularium vero ubi reponuntur tabulae pictae, Graeci

dicunt. Mensa, unde Mensarii, & Tribuni Mensarii apud Liuium, Tholoneum est. Quod superest, Gallia, Romanis imperantibus, in tres Prouincias, Narbonensem, Aquitaniam, Belgasque diuidebatur. Unde non immerito Gallias numero multitudinis dixit. Sunt qui Gallias Trasalpinam, & Cisalpinam intelligant. Erant in Prouinciis subiectis Romano nomini Publicanorum, qui vectigalia a Rep. conduxerant, ex Equestri ordine societates, his Prouinciis singulis singulos, qui ceteris praesent, praefecerant: Sed posteaquam Respublica in Monarchiam redacta est, vectigalibus huiusmodi exigendis a Prouinciis Libertos, quibus multum fidebant, Caesares praeficiebant: Ex quibus vnus erat hic Vlpius, & eiusdem successor Capriola.

D. M.  
FABIAE PRISCAE  
VIX. ANN. XIX.  
Q. FABIVS PRIMI  
GENIVS  
LIB. ET CONIVGI



BENEMER.  
FECIT.

Priscam dixit, aut quæ esset priscis, id est, optimis moribus, aut a Tarquinio Prisco genus suum reuocaret. Sed quod ultimo loco posuimus, nō placet.

D. M.  
L. FABIVS ATROP  
TES FABIAE PRI  
MITIVAE  
CONIVGI BENEME  
RENTI  
FECIT.

Ex Liliis, quæ in summo tumuli obseruauimus, immatura morte præuentam fuisse Fabiam, coniecturam fecimus: Nam Virg. in sexto Marcelli, qui adolescens perit, mortem deflet his verbis

Manibus date Lilia plenis,

Purpureos spargam flores, animamq; nepotis.

Nam Lilium cito deflorescit. Hinc Horatius (ut omnia) recte sane breue Lilium dixit. Atroptem immutabilem possumus dicere. Quod eodem scilicet vulu in vtraq; fortuna semper perstiterit: itidē de Socrate Græci prædicāt. Primitiua primigenia. prima nihil admodum in huiusmodi inscriptionibus inter se discrepant: illud autem fecit, nō, quod ipse



fecerit, intelligendum est : Sed quod faciundum curavit : quippe qui primus est rei auctor, is fecisse dicitur : vulgo etenim Gn. Pomp. Magnus bello Mithridatico finem imposuit, cum eundem debellarit, qui belli auctor erat, non hoc quod solus id patrarit Pomp. Sed quod dux fuisse dicitur.

D. M.  
EQVITIAE EPICTESINI  
M. EQVITIVS ABASCANTIVS  
COLLIBETAE ET CONIV  
GIBENEMER, FECIT.

Libertinum esse tumulum, cum per se sit perspicuum nihil est, quod dicamus : Quod cum ita sit, paucis agamus. Equitii dicti sunt ab alendis Equis.

AELIA, Q. ET O. LIB.  
ACVME VIXIT ANNIS THEMIS  
XXII. MATER  
NESTOR CONIVGI SVAE  
B. M.

Hic sarcophagus aequè libertinus est, sed contiguus (ut opinor) Themèdii sacello : Quam ob rē apposuerunt notam, qua quod Dis Manibus Sacrum, quod superum esset, mortales intelligerent : Serula est utrinque dentibus aduncis, cuius instar in Oratione pro A. Cluentio Habito non inuenisse Cicero describit, fas est.

D.  
AEMIL  
AEMILIAE

frag

mentum

COLLIBERTAB.

Mancus hic tumulus sic videtur commode resti-  
tui posse D. M. Aemiliae Fuscae (nempe a colo-  
re) Aemiliae Syrae collibertabus, L. Aemilius L.  
Pauli libertus F. C. Colliberti sicuti contribules,  
& concives ante Tyberii Neronis Augusti F. Im-  
peratoris aetatem in usu non erant: Sed tantum  
(quod sciam) commilitones postea conterraneo  
usus est etiam (satis licentiose tamē) Plinius noster.


V  
R  
A  
N  
I  
O  
S  
E  
S  
M  
A

V  
I  
V  
E  
I  
N  
Q  
V  
A  
M  
N  
A

M  
A  
N  
E  
T  
I  
N

P  
R  
A  
E  
T  
E  
R  
I  
T  
I  
S

N  
V  
D  
A  
H  
A  
E  
C  
I  
H  
I





N H T  
I A E  
L E  
I C

H G  
O I  
R E  
I S S.

HAEC EST EFFIGIES REGIS  
MAGNI MITHRADATIS DIVI  
TIS ET SUMMI PAUPERIS ET  
TENVI HIC POSITVM HORARVM  
RATIONES REDDERE COGIT  
POST OBITVM NULLVM  
TEMPVS HABERE DOCES

Vranioses Man'li, viue inquã: nã hæc manet in te,  
Præteritis horis nuda hæc effigies.

Hæc est effigies Regis magni Mithridatis  
Diuitis, & summi pauperis, & tenuis.

Hic positum horarum rationes reddere cogit,  
Post obitum nullum tempus habere docens.

Latini Poetæ veteres (vt illius, qui composuit ex  
stimationis rationem habeamus) s, & h, iuxta habe  
bant: nam & collidebant sequente vocali, s, litteram  
non minus, q̄, h, cuius rei testis est Ennius in Annalibus.

Campos Atre qua se subducunt moenia Auellæ.

Et nonnunquam nullius pon eris apud eos erat,  
quod in, m, fieri non videmus, uicilius in Satyris  
illo dignus lecc q̄.

Item Catullus noster in fine operis sui,  
At fixus nostris tu dabis supplicium.

Quæ etiam Catullus

Mortalis visus est pulchrior esse Deo.

Sic igitur scandemus, Vrani, es Mani, liui,  
uinque hæc : nam manet, in te. Alioqui nulla est ra-  
tio : nam esset Pœon secundus, quem pedem ver-  
sus hexameter non admittit : In secundo carmine,  
nuda hæc, nisi fiat synalepha, erit amphimacrus, quæ  
creticum ve eres dixerunt, cui in sede Dactyli pro-  
pria nullus est locus. Superest igitur (quod tamẽ du-  
rissimum est) vt fiat synalepha, & diuidatur diph-  
thongus, nuda hæc, quod in ai Græcorum diph-  
thongo Vergilius vsurpauit.

Aulai in medio libabant pocula Bacchi.

Item Lucretius in primo de rerum natura.

Iphianessai turparunt sanguine foede.

Sed ingenue (dicam, quod sentio) nusquam pe-  
nes idoneos auctores hoc memini me legisse, quod  
scilicet æ diphthōgus apud Latinos in carmine pos-  
set diuidi. Sed Vranium sane cœleste dicamus

quippe cœlum est. Vranus etiam pater  
Cœli, qui genuit Saturnum, cuius est filius Iuppi-  
ter, vt agamus sine fucce, saxum quidem integrũ est,  
sed ex Epitaphio, imperitia Marmorariorũ, mon-  
strum fecit : Nam & transfusa sunt priores literæ,  
quod nusquam in antiquitatibus reperitur : & ver-  
sus mendis haud quaquam vacant : nam & Mithra-  
darem fecerunt pro Mithridate, & in tenui, deest, s,  
sicut in doces, n, docens etenim exegit integritas sen-  
sus. Cæterum Mithridates Ponti Rex Maximis, me



moria, animo, & ingenio vir complures annos cum  
Populo Romano omnium ferme gentium victore  
sæpius vario Marte pugnavit: Demum a L. Sylla  
fusus, & castris exutus, a L. Lucullo postea conu-  
sus, & in solas terras detrusus, a Gn. Pompeio peni-  
tus devictus, a Pharnace filio mori coactus est: id-  
circo & summum diuitem, tenue, & pauperem, eun-  
dem carmina describunt. Sed, vt singula quæq; dili-  
gentius perpendamus, primis versibus e transuerso  
scriptis nulla prorsus est ratio: primus quippe Se-  
ptenarius acatalecticus, Secundus quinarium creticum  
pro dactylo sustinet: quod cum ita sit, Rhythmos po-  
tius, quàm metra, eosdem appellemus: Quatuor subse-  
quentes elegi integri, & legitimi habentur: est autem  
Dialogus, in quo cum effigie Mithridatis Marmo-  
rarius loquitur. Tu es Vranios Manilii, seruus seu li-  
bertus, qui me tanquam spirantem e marmore duxi-  
sti. Respondet Vranios, viue inquam, id est, volo, vt  
sis! superstes: nam hæc profecto vita manet in te,  
(more hominum locutus est, quibus sua nimium  
placent) Deinde conuersus ad prætereuntes, præter-  
itis horis, quibus vixit Mithridates (nam horæ po-  
tius dicendæ sunt, quàm anni, quibus hodie vitam pro-  
pagamus) hæc effigies est nuda patrocinio, utpote  
quæ sit vidua patrono, Hic positum simulachrum,  
scilicet, docens nos post obitum nullum tempus ha-  
bere cogit, hic reddere rationes horarum, quibus vi-  
tâ traduximus: & hoc totum secundum M. Car-  
onis Censorii sententiam, qui totius temporis, quo vi-  
uimus, reddendam nobis esse rationem cœsivit. Postre-  
mo prudens memor temporis horas non numerat,

sed ponderat. Sardanapalus etiam post mortē nullam mortalibus voluptatem, siue eiusdem titillationem, aut sensum reliquū fieri testatur, quod & Epicureorum est dogma, quibus animam, more pecudum, vna cū corpore extinguī, satis est persuasum.

D. M.  
RAIAE BASSAE PRAI  
IVS AGATHONICVS  
LIBERTAE SVAE BE  
NEMERENTI FECIT  
VIXIT ANNIS XVI.

Hunc libertinum tumulum, vt asseramus, nihil argumentis opus est, per se enim res ipsa loquitur. Sed Praium plebeio generi sane ascribamus, cum nullum videamus prænomen quod si Argatonicū diceret, scilicet hunc Gaditanum ab Argatonio eorū Rege, quem vixisse CXX. annos memoriae scriptores rerum prodidere, inditii esset: verum

bonum dicimus: puellam prudentia per speculum fortitudine animi, per lauream bonitate summa, per columbam praeditam fuisse dicamus. Quibus imperantibus Romae hoc opus fuerit exactum, non ausim pro certo affirmare, quibusdam tamen coniecturis, & literarum maxime characteribus, vt credamus, facile adducimur: Antonino Pio Principe perfectum, nec minus puellam obsequen-  
torem patrono, quam par esset, fuisse illud



benemerenti, deinde tot insignia faciunt, quò si cui  
fortasse nimis suspitiosus videbor, non laborabo.  
Quantum peccati commiserint, qui subsequentiem  
tumulum fregerint, nequeo dicere, tanta etenim est  
elegantia imaguncularum, quæ semidivinitatibus super  
sunt, ut eis ad venustatem nihil addi posse videatur,  
quarum primus Mars freno retinens Equum nimis  
alacrem, post hunc Bellona Galea, Clypeoque muni  
ta, ad pedes cuius stat Aquilla biceps, inde nudus  
est (ut opinor) Apollo: quem sequitur Prudentia  
speculo, gorgonisque capite insignis: Sed in ora tu  
muli verba legimus, quæ subiecitimus. A P H I O  
B E N E M E R E N T I S E P T I M I V S E  
V O C. Cætera quæ sequuntur, sicuti prima, desi  
derantur: Nos autem sic perfecimus. C. Septimio  
Paphio (quasi ex Papho Cypri oriundus esset) Pa  
tri benemerenti Septimius Evocatorum Dux faci  
undum curavit. Nam Evocati secundum Vegetium  
promilites dicebantur: erant autem, qui repentina  
necessitate, aut tumulu ex agris ad bellum evoca  
bantur. Vergilius in octavo Aeneid.

Auxilia, & latos vastant cultoribus agros. &c.

Hic ergo Septimius Evocatorum, & sociorum  
Populi Romani Dux, & quod nos edo  
cet Aquila biceps, ductu Gn. Pompei Magni bel  
lo, quantum opinor, Mithridatico in Ponto rem  
gessit, & stipendia fecit, quibus exauctoratus in pa  
triam postquam rediisset, paternos manes tam ele  
gantia tumulo profecutus est. Nec procul hinc tumu  
li fragmentum conspeximus, ubi erant plures vinde  
ntiæ operâ dantes, in medio lras hæc offendimus.

Evocato  
ti qui

SABINIANO fragmentum

Per vindemiam Sabinianū in ipso ætatis flore, quando aliquid ex eo fructus, & vtilitatis sperabatur, vitam cum morte commutasse coniecturam fecimus: qua si qui melius quidpiam excogitarint, officiose in medium producant rogo: Non etenim is sum, qui omnia impudentissime mihi arrogem.

L. VOLVSIVS CAIAE LIBERTVS  
ANTIOCHVS  
Q. SALLVSTIVS. Q. LIBER  
SALVIVS.

Volu-  
siorum  
fa.

Salustia  
fa.

Tabella est duobus Libertis communi imposta tumulo. Volusiorum familia ex Equestri ordine satis honesta Patavii fuit, quæ Q. Volusium annalis scriptorem Ennii emulum, quamvis eum irridere at Catullus noster, produxit. Salustiorum vero gens ex Amiterno oppido oriunda Equestri iridem gradus a C. Crispo Salustio historiarum eximio scriptore alumno plurimum splendoris accepit. Antiochus, siue Antiochus ab Antiochia Syriae memoratissima vrbe. Saluius a Salvio monte, de quo Livius in historiis multa, deducuntur.

APVSTIA APOL  
LINARIS  
VIXIT ANN. XL.



Apustia tumulus ex plebe viduae mulieris satis  
per se patet. Apollinaris vero videtur dicta, quod  
Apollinarium ludorum die sit orta, siue cognomen  
dicamus, vnde & Sidonius Apollinaris.

D. M.  
T. FLAVII SIMPHOR  
T. FLAVIVS SPENDO  
PATRI. B. M. F.  
VLX. ANN. XL.

Tumulus hic patri benemerenti a filio summa  
pietate praedito, eodemque primogenito constructus  
fuit. Romani obseruabant, vt primo loco natis sua  
nomina imponerent: Nam M. Tullius Cicero ex  
Equestri ordine Arpinas, siue, vt quidam, ciuitate  
Romana donatus M. Tul. Ciceronem summum  
Oratorem, quem honoris causa nomino primoge  
nitum suo nomine vocari iussit, secundo loco natum  
Q. dixit.

D. M.  
EROTIDI. V. S. F. FVL  
VIVS EROS. V.  
ANN. V. M. VII. D. II.

Tumulus filiae a patre moesto sic deducendus.  
D. M. Erotidi vnigenitae suae fecit, Fuluius Eros vi  
xit annis quinque, mensibus septem, diebus duobus.  
Erosis amabilis Amor. Caterum Fuluius

rum familia a colore fuluo capillorum, plebeia quidem, sed illustris Romæ plurimarum imaginum suorum titulis fulgebat: domi nobilis, apud socios factiosa. M. Fulvio nobiliore in primis, & Q. Fulvio Flacco, qui Capuam expugnauit, & cum Annale certamen non detrectauit, plurimi habebatur.

D. M. CORNELIVS  
QVINTVS  
ARIAE CONIUGI B. M.  
FECIT.

Aria fa.

Arii cognomē non immerito antiquum esse censemus, quippe Dioscorides Ariolibrum de facultate medicinali dedicauit. Valerius etiā Catullus noster Arium aspiratione nimis abutentem versibus compellat.

Chommoda dicebat, si quādo cōmoda vellet  
Dicere

Lucillius etiam in Satyris T. Arium satis honorifice iis versibus appellat.

Græcum te Albuti, q̄ Romanum, atq; Sabinum,  
Municipem Ponti, Titi Arii centurionum  
Præclarorum hominum, & primorū, signiferumq;.

Et ab Ario Ceturione pene Vergilius noster oppressus fuit. Nec in hac sanguinis propagatiōe foeminae viris cesserunt: quippe Ariæ, quæ C. Neronis principatu Pato infelicitè nupserat, extat illud eulogium.

Castra suo gladium cum traderet Aria Pato



Quem de visceribus traxerat ipsa suis.  
Nec mirum si Martii dicebantur : nam  
Mars est. Crescentini e Larino municipio fuerunt  
oriundi.

D. M.  
M. QVINTIVS FOELIX  
M. QVINTIO PYRALO  
FILIO PISSIMO  
VIX. ANN. III. MEN. VI.  
DIEBUS XIX.

Inter vetustissimos hunc tumulum non annume  
rauerim : Nam piissimum, quod superlatiuum in  
M. Antonio Triumuiro irridet Cicero, rationi res  
pugnās, dixit. Sed, qui composuerunt hanc inscrip  
tionem, modo si otium est, ipsi viderint : nobis, ne  
supra calceum (vt aiunt) ascendamus, religio est.  
Quintiorum familia plurimos honores Rome, flo  
rente Repub. diuersis temporibus adeptā est : extat  
etiam Ciceronis Oratio pro P. Quintio. Verū ex  
nobilissima Quintiorum familia eum fuisse nō ar  
bitror. Quippe hic Eques, negotiatorq; illi nobilif  
simi patritii fuerunt, ex quibus T. Quintius Cincia  
natus, Cæso Quintius filius, & maximo tēporis in  
teruallo post L. Quintius Flaminius, qui Gallos  
Cisalpinos subegit, deq; iis triumphauit, demum  
circumuentus insidiis Annibalis apud locum Tra  
sumenum, strenue dimicans, occubuit. Cuius filius  
T. Quintius Flaminius Aetolos, & Philippū Ma

Quin  
tiorū fa

cedonia Regem subegit. Plurimum certe Quintii  
Reip. Romanorum, diuersis aetatibus, profuerunt.  
Sed quod modo recensuimus, fuerint ne ex eodem  
sanguine, non satis liquet. Pyralus, quod postremū  
est, ignitus, ac propterea perspicacioris ingenii dicitur:  
nam ignis est: inde ardētes dicimus  
uiuaces, & festinos: frigidus vero nullius ingenii.  
Verg. in Georgicis.

Frigidus obstiterit, circum præcordia sanguis.

D. M.  
CLAVDIA EPIGONE  
FECIT SIBI ET  
T. FLAVIO PRIMIGENIO  
CONIUGI ET  
FLAVIO SIMACHO LIB.  
B. M. LIB. LIBER  
TABVSQVE  
POSTERISQVE EORVM.

Epigone quasi generosa dicitur. Ab hoc Sima-  
cho, quem Commilitonem possumus interpretari  
Simachus ille fuit oriundus, qui Boetii temporibus  
Romæ multi nominis habitus est.

SALVSTIAE EROTICE  
NI. Q. SALVSTIVS  
PHILOMVSVS CON  
IUGI ET  
LIB. B. M.



Præter faciendum curauit, nihil est, quod amplius  
us addi posse videatur. Hæc sunt quæ in cauædio  
nobis epigrāmata se se obtulerūt: Arbitrabamurq̃  
nulla reliqua esse quæ transcribere operæpretium  
esset. Iamq̃ finem incepto operi meditabamur, cum  
forte fortuna in hypetram descendimus: ibi dum  
otiosi essemus, occurrit oculis nostris, nihil tale spe  
rantibus, lapis Tyburinus nonnullæ magnitudi  
nis elegantioribus literis insculptus, verum iam ve  
tustate collabētibus, & ab imbre pene deletis, in cui  
us supercilio, quod a forma Tympanum non in  
congrue multi dixerunt, est corona, ab utroq̃ eius  
dem cornu poma depræhendimus, utrinq̃ pro late  
ribus hinc Gutturnum, inde Patellā Pontificis insignia  
minoris aspeximus. Nefas igitur duximus, & hunc  
silentio præterire, illud tamen præfari non ab re fue  
rit. In eodem saxo non Acerranus, sed Acerranos  
secundum Græcorum formā scriptum fuisse, ea for  
te de causa, ne gēminatio illius, us, malum sonum  
pararet, quod si per geminum, r, acerrarum placue  
rit legere, nō ab Aceris Campaniæ Ciuitate, sed ab  
Acerris eque, ac Aesi ciuitate Vmbriæ, id quod ma  
gis placet, fuerit deductum. Porro Plinius tertio na  
turalis historiæ libro Vmbros, quod imbri Deus  
calionei diluuii soli superfuerint, dictos arbitratur,  
eosdēq̃ totius Italiæ regionum vetustissimos pro  
pterea ducit, vbi etiam didicimus Treuii nunc acco  
las antiquos Trebiate dixisse. Hæc præterquam q̃  
huius opusculi ratio postularer, addisse volui Bene  
dicte amplissime, ne municipium, quod plurimum  
abs te splendoris est adeptum, nouum, aut adeo nul

lus nominis ducerēs. Maeste ergo virtute esto mi  
Valens hoc tpe, quo incertus es, vtrum tu patriæ  
tua industria, singulariq; virtute plus nominis, an il  
la tibi sua vetustate, & magnificētia contulerit. Quā  
uis illa non in mediocri dubio sit, te ne parentem,  
alumnū, an filium vocitet, quæ cum tua in eam  
pietatis plena facinora contemplatur: cum se tua  
magnificentia nulli Umbriæ ciuitatum cedentē vi  
det: parentem, cum te genuisse, & paruulum edu  
casse, in memoriam redigit, alumnū, & filium te  
cognoscit. Vnde merito illud præclarissimum Cæs  
aris Augusti eulogium in te transferri potest.  
Te ne magis saluum patria hæc velit, an patriā tu  
Serues, in ambiguo est, qui consulit, & tibi, & vrbi  
Iuppiter.

Sed dies me profecto defecerit, si conatus fuero  
proprias laudes tuas stilo præstringere, quam ob  
rem, quod reliquū est muneris nostri, perficiamus,  
& qua cepimus, pergamus.

D. M.  
M. ACERRANOS. P. AES.  
SECUNDO IIII. VIR  
Q. Q. DES.  
PONTIFICI PATRONO  
MVNICIPII LIB. QVE ET  
HAERED.  
EX TESTAMENTO



Hanc inscriptionem sic interpretamur. Dis Manibus Marcus Accerranus Publico Aesinati secundo quartumviro, quaestoriquē designato, Pontifici, patrono municipii liberisque & heredibus ex testamento faciendum curavit. Quantum ex magnitudine summus coniectati, & aliis argumentis, quae recensere longum, & superuacuum putauimus, Crypte impositum erat hoc saxum: Quæris forsitan, quæ fuerant Cryptæ? subterranea Sepulchra cameris & fornicibus cubiculi in formam suspensæ non sine Statuis, & columnis marmoreis, signisque, quæ ornamento adhiberi solent: cuiusmodi plures Romæ marmoribus spoliatas & semidirutas non sine magno mærore vidimus. Restat etiam nunc Veronæ in Cymiterio, D. Zenonis integra. Accerranus & Aesinas ab Aceris, & Aesi campaniæ, & Umbriæ Ciuitatibus deducunt: Porro Quaestoris Urbani, quem camerarium dicunt, a quaerendo deductum nomen eo quod conquirat pecunias publicas: Quaestores designati dicebantur, qui tantum creati Magistratum nondum inierant, Quaestorii vero quaestura functi, Designare est etiam facinus aliquod magnum patrare. Terentius in Adelphis. Modo quæ designauit? Hinc designatores funerarum, de quibus supra satis multa verba fecimus, sed Pontificum alii maiores alii minores erant, quibus omnibus præerat Pontifex Maximus, dicti a Ponte Sublicio, quem vetustate fatiscentem resistere Pontificum munus erat auctore Varrone, siue quod singulo mense una cum virgine vetustali per pontem Sublicium sacra portans in arcem a doliolis

Quæstor vñ.

Pontifices qui.



ascendebat, Horatius.

Dum Capitolium

Scandet cum tacita Virgine Pontifex.

Municipia sunt Ciuitates suis legibus vtentes a capiundis dicta muneribus : hinc municipes ex eodē municipio Ciues, sed municipiorum iura iam sunt obsoleta, & antiquata apud omnes.

Hæc sunt illustris, & excellēs Benedicte, quæ mihi de tuis antiquitatibus vt dicerem occurrerūt: Quæ si quid tibi legenti iucunditatis attulerint, magnum vero operæ precium fecisse mihi videbor : Sin minus, Hoc tamen me consolabor, quod auctoritati tuæ non defuerim: tantum saltem profecero, quod si libuerit semper tecum: vbi cunq; fueris : antiquitates sine magno molimine tuas per me poteris habere, si quid præterea imperaueris, nulla vnquam erit in me mora, quin pro virili mandata perficiam : quod si confecero, officium equidem meum præstabo, verum merita in me tua, non assequar. Fuisse etiam meæ partes, quæ Simulachra habentur in adibus tuis, opusculo nostro non aliena ducere: Sed me hercule (dicam quod sentio) magis ariolari meum fuisset hoc, quam verisimili argumento niti: Nam si voluerimus ex numismatibus, quæ passim circumferuntur (quæ tamen sola est via) singulas imagines seu potius capita Simulachrorum cognoscere, frustra laborabimus, Nam præterq̄ quod alia pueritiæ (nam puerorum & Cæsarum potissimum



vultus ære ductos non ambigimus ) alia incunctis  
ætatis, alia ingrauescentis viri sit effigies, difficilius  
est ex oris ære ducti dimidia parte tantilla tantum  
caput agnoscere, quam Herculi ( quod aiunt ) cla-  
uam surripere. Ad has difficultates illud accedit  
etiam, plures ex Romanis fuisse ( vt interim Cæsa-  
res, Augustos, & Romanorum Principes omitta-  
mus ) qui florentibus Reipublicæ rebus Theatra,  
nec tantum longo temporis spatio destinata, sed  
breui temporis interuallo Dictatura vel tribus mil-  
libus Statuatum tam ex ære, quam marmorearum,  
coornauerint, omitto Colossos cum Deorum, tum  
Heroum, fluuiorumq; prætermitto pacificatorias  
Statuas, ne recēseamus Tuscanica sigilla, quo nam  
pacto per Deos Immortales diuersis locis iacentia  
truncata capite membra, aut sine membris capita  
coniectura poterimus assequi: nullo (inquā) modo  
vel si Oedipi nobis anima se se ingesserit. Non ho-  
die iis idem est locus, quo prius steterant, nulli acce-  
dunt certi habitus, nullæ in basi literæ, trunca sunt  
etiam plurima naso Capita: coniectura postremo  
huiusmodi eo redacta est omnis, vt qui se Capium  
veterum rationem exploratam habere profiteatur,  
non immerito ab omnibus, qui alicuius sint aucto-  
ritatis, ludibrio habeatur, vt pote qui nimis arrogā-  
ter se iactitet, & plura, quam mortali scire par est,  
de se premiuiat. Diuinum me hercule, Diuinum  
(inquam) est nec minus, quam futura vaticinari,  
disiecta a capite membra, caput a trunco separatum  
certo nemini tribuere: inde procedit illud, quod  
qui censors eximios antiquitatis haberi se voluit

Quãob  
rem Sta  
turæ a  
pud anti  
quos.

diuersa sentiant, nec in eadem perpetuo sint sententia, nec mirum, nam quot homines, tot sententiæ: Nec fieri potest, vt omnes in eadem re dissentientes vera dicant: & quod deterrimum est, ea sumus natura, vt tamen si veritas aliquibus argumentis se nobis ingererit, nihilominus tamen meliora sententibus haud quã cedamus, ne scilicet minus sapere tandẽ videamur. Quapropter bene de Republica meritorum, quæ habes, Capita fingamus, vt nobis Q. Maximi, & P. Scipionis exemplo, cū intuemur imaginum frustra, eorum, quibus signa similia nostris oculis subiecta censemus se se ingerat memoria, qua commoti similes illis agendis rebus esse velimus: Hæc erat vna ratio, qua Romanorum primi in atrio maiorum suorum, qui se pro Republica domi, forisq; strenue gesserant, ex cæra, siue ex Cedro collocabant imagines, inde apud nos in sacrosanctis ecclesiis, siue templis de fide nostra beneficentia meritorum statui Simulachra conspiciamus: non vt ceu quædam Aniculæ, aut si qui sunt simili superstitione delibuti, quos merito Persius irridet iisce Simulachris vota suspēdamus, aut imagines, tanq̃ Deos, adoremus. Sed quid ego hæc ad te? quasi vero non sis eiusmodi, qui mortales ætatis nostræ ingenio, fortuna, industriaq; facile viceris? & antiquorū strenue facta, quorum celebris apud nos est memoria, si minus viceris, at equaueris? Quãobrem nihil est opus signis antiquorum tibi, nec liberis tuis, si te vnum (quod tamen faciunt) intueri, tuarū facta cōtemplari, nec solum contemplari, verum etiam voluerint æmulari. Sed de Statuis tuis, & signis anti-



quissimis satis superque dictum fuerit, quod igitur  
caput est, a te mirum in modum peto, quaesoque,  
ne vigilias hasce meas in publicum sinas prodire.  
Quippe nec huiusmodi sunt, quae liuidorum den-  
tibus, aut obtrectatorum sermonibus, propter exi-  
miam formam: capillosque Calamistris inustos mi-  
nus obnoxias se cognoscant, sed parum comprae,  
& horridulae sunt, sed eas domi parce, & pudice alui-  
mus: quo fit, vt ne vllas quipem pigmentorum ar-  
culas satis nouerint, nedum sibi adhibuerint: Ge-  
stiunt ergo domi se continere, sed vt haec missa facia-  
mus, & redeat oratio, vnde diuerterat, si quis hisce  
laboris impendi, tuum sit hoc, nec enim, cum haec  
animo voluebam, cum haec scriptitabam, cetero or-  
ratione habui. Verum tibi soli studui, & te semper  
in oculis habui, habeboque dum viuam. Quod cum  
ita sit, haec vt sint (nec enim mea possum, aut debeo  
verbis extollere, neque eadem siccipendere, alterum  
quippe foret arrogantis, alterum nullius consilii ho-  
minis) tibi soli reserues rogo, hoc mihi

gratius facere nihil poteris. Nunc vale,

& hoc munusculum clientis tui,

quod consuesti, suscipias

hilari fronte, & per

otium

Francisci memor, legas velim,

vale iterum.



## Errores inter imprimendum admissi.

Cecus Char. 2. ver. 15. lege non ex humili. Char. 3. versu  
26. lege cursus. Char. 5. ver. 20. conducebantur.  
Ch. 6. ver. 13. cœcus, lege Cecius. & ver. 31. qua  
Char. 8. ver. 52. A vêtre. Ch. 10. ver. 52. strictim.  
Char. 11. ver. 31. nec. ver. 53. e. ver. 43. preſſe.  
Char. 15. ver. 9. qui. Char. 17. ver. 60. Liuiã. ver.  
62. is. Ch. 18. V. 3. nimiam. Ch. 21. ver. 19. ser-  
fus. Char. 23. ver. 9. D. ver. 33. T. A. L. PON,  
TII. Charta. 74. ver. 6. Maximi. Char. 25. ver. 7.  
parauit Bustum. Char. 26. ver. 26. prodierunt.  
Char. 35. Themidi. Char. 32. V. 7. tenuem.

### Errata quæ in secundo opusculo maioris ponderis offendimus.

Char. 9. ver. 1. Antinous e Cithynide. ver. 7. ni  
ver. 48. nostrates, ver. 46. omnium, Char. 7. ver.  
44. interfecisse. Char. 9. V. 59. is superfluum est  
Char. 13. ver. 50. LVI. Char. 15. ver. 9. Marcus  
Char. 19. ver. 9. in potestatem. Char. 17. ver. 38  
Desunt hæc nomina. s. Antoninus pius. & C. Ca Or  
ligula.





In laudem. B. Valentis. F. A.

Inter saxa nites veterum testantia ritus,  
Et tua cum signis nomina celsa leges.  
Ut tandem discas priscos te vincere fastos  
Iustitia, officijs, sedulitate, fide.

Raymundus Lepidus Sulmonen.

Quantum Roma tuo debes fundata Quirino  
Aligerotantum nunc separata viro.  
Ille dedit nomen, ruitur aq; mœnia tandem:  
Aeterna hic tribuit nunc monumenta tibi.

Idem Raymundus.

Romulus est princeps Romanæ conditor Arcis,  
Aliger hanc reparat. dædala & inde manus.  
Orbem Roma fuit totum complexa, libellus  
Vtrumq; est Roma malor & orbe nitens,  
Idcirco debes authori Regia Roma,  
Aligero at debes nunc renouata magis.  
Ille dedit nomen, ruitur aq; mœnia tandem:  
Aeterna hic tribuit, sed monumenta tibi.

Aliud idem Raymundus.

Excussum modo qui legis libellum,  
Francisci studiis laboriosis,  
Ad latres licet vsq̄ & vsq̄ latres,  
Et tetrum in reliquos vomas venenum,  
Hinc te dimoveas procul monemus,  
Parua est pagina nostra, sed fatemur  
Magna in tam modicis latere chartis  
Rerum pondera: namq̄ Roma priscos  
Agnoscit proceres, suosq̄ mores,  
Et se, mania, dirutaq̄ turres,  
Arcus, pyramides, sacra, & sepulchra:  
Tandem quicquid habet nova, & vetusta  
Urbs hoc Romula, panditur libello.





ILLVSTRI AC EXCELLENTISSIMO  
simo Domino suo obseruandissimo. D. Bene  
dicto Valenti. S. D. N. PAVLI. III.  
PONT. MAX. Tribuno Ærario  
dignissimo. Franciscus Aliger dan  
tis tertii filius. S. D.



EST vir amplissime, plurimū quod  
ego (vt aiunt) in sinu gaudeam, me  
in ista loca venisse, vbi in asserendis  
antiquorum monumētis aliquid sa  
pere videar. Quod si in Phaliscos  
quoq; (mōrem falcum vulgus appellat) profectus  
essem, quamuis illi ingenio sint acutissimi, nemo ta  
men in illo oppido antiquitatum peritior me fuisset:  
At videor de me iactātius impræsentia loqui,  
qua de re non in Phaliscis id vsu venisset, Sed fors  
tasse, si in vicum Pontium diuertissem. Verumtas  
men diutius tecum rideamus, non licet, agamus igitur  
serio. Lætor equidem vltro me accersitum abs  
te, ad quem cæteri non propter superbiam, quæ nul  
la prorsus in te est, sed ppter occupationes tuas aspī  
rare non possunt: Nec solum gaudeo, verū etiam  
mihi gratulor, cum quotidie pro tua humanitate,  
qua nihil melius nobis dii dedere, cœnatum penes  
te vocari me iubes. Hinc enim existimatio mea, hīc  
vtilitas nōnulla redundat, hinc me tui Trebiates ali  
quid apud te posse iam sibi persuadent: Nouis præ  
terea subinde muneribus, & sportulis oneras me.  
Quid dicam amplius: nihil addi meo quidem iudi  
cio potest ad declarandum magis tuam erga me be  
neuolentiam, Quod si me tibi par pari nonnunquā

relaturum fore confiderem, certe audacius apud te  
verfaret, Sed cum quanti fim, fimulq; tuæ amplitu-  
dinis venit in mentem, tremo, horreoq; ne me tua  
liberalitate nimis abutētem impudentiorem ſidem  
ipſa exiſtimēt: At, vt ut erunt in me Trebiatū inge-  
nia, & aliorum, dum tibi morem geſſero, parui faci-  
am obtrectiones. Quod vel proxime luce magis  
clareſcat, neceſſe eſt: nam vbi primum Romā pro-  
fecti fuerimus, opus antiquitatum tuarum non in-  
dignum me hercule (vt de nobis non nihil etiā præ-  
dicemus) auribus tuis ad te mittam, in quo præter  
cætera tanquam in ſpeculo dignitatem tuam, tum  
quid de te mortales prædicent, poſtremo quid de te  
coniecimus, poteris cognoſcere. Sed quid ad de-  
clarandum meum erga te ſtudium pluribus argu-  
mentis nunc vtor: cum quod mihi ſumma neceſſi-  
tudine coniunctis eſſaſſagitantibus ſæpius denegaue-  
rim, ſi non vltro tibi detulerim, at inſtanti diutius  
non fuerim moleſtior (de ſtatuis agnoſcēdis eſt ſer-  
mo). Quod ſi quempiam rogitaueſ tuum vel per  
neceſſariū, vt in recognoſcendis ſtatuis tuis, ſeu po-  
tius fragmentis adſit tibi, ſtatim reclamabit, tergi-  
uerſabitur, abnuet. Nec me hercule iniuria: Nam  
quotus quiſq; eſt hodie vel peritiſſimus antiquita-  
tum, qui citra culpam ex numiſmatibus e marmore  
ſigna iudicet: At nos hominum maleuolorum caſ-  
lumnias, bonorum reprehentiones, omnium con-  
tumelias, & obtrectiones tuis obſequentes ſtudiis  
parui fecimus, & quod monſtri ſimile fuit, ariolos,  
coniectoresq; plane repræſentauimus, dum capita  
ſimulacrorum, quæ ſunt apud te, clariffimis homini-  
bus aſcribere conamur. quibus quam probe conie-

atur  
hoc  
faci  
bi n  
us v  
noſt  
eten  
imp  
ſtitu



aura accesserimus, peritiorū sit hoc iudiciū. Nec  
hoc duximus satis, singulis quippe vitas, & mores,  
facinoraq; breuitati studentes subiecimus, Quod tibi  
non minori voluptati, q̄ alterum, de quo superius  
us verba fecimus, fore confidimus. Si præterea tibi  
nostra opus fuerit opera, audacter imperes velim,  
etenim frustra nihil oneris meis humeris vnquam  
imposueris: Sed pollicitationum satis est, nos ad in  
stituendum, quod recepimus, progrediamur.

A     iii




**DIALOGVS. INTERLOCVTIO**  
**ribus Benedicto Valenti. Francisco Aligero.**  
**Xantho Pontio.**

**E**Ramus forte fortuna sic otiosi ego, & Xanthus noster, quo neq; doctius qdā, neq; sanctius, aut tui studiosius fieri potest, in Xysto praestolantes, si recte memoria teneo, aduentum tuum in arcano enim eras non minimis negotiis distractus: is cepit imagines, quibus refertus est locus, diligentius contemplari, quod cum diutius egisset. Quousq; rādem (inquam) patiar Xanthe mutum te rebus hisce contemplandis destineri? non ne verus est aliquid nos iocose (vt amici) nunc agere, aut inter nos de communibus studiis aliquid memoratu dignum differere, quam statuis mente, & oculis esse defixum? Tunc Xanthus respiciens. Xanthus. Quantum mihi negotii tuis verbis (vt ita dicam) intempestiuis mi Francisce nunc fecisti. Franciscus. Quid ita? X. Quia vero videbar videre vos mortales, quorum referunt vultum marmora, simulq; loquebar cum iis. F. Cum quibus id agebas mi Xanthe? X. Tuid dicis, quasi non noris, tentatum aduenis. F. Ego autem tento? X. Ita enim uero. F. Quid hoc? X. Quia noui probe, quam sis optimus antiquarum rerum assertor. F. Quam falsus es, quippe quoniam praeter pauca numismata, eademq; ex literis, hoc argumēto nihil aliud noui, quod sciam. X. Vtrum serio mecum, an ioco dicam te nunc agere mi Francisce? F. Ego uero serio. X. At uide, quanta de spe nunc deciderim: Nunc in eo eram, vt te percunctarer, que nam sigill



essent hæc signa, at in iis rebus te tanquam peregrinum facis. F. Atque utinam is essem, quem me dudum faciebas: digito cœlum tangerem: Et ut nunc sunt circa priscorum statuas purpuratorum nostrorum insaniam, breui mehercule crederem tali disciplina ditescere: Quamobrem da operam, enitere quaeso, ut in hac re tuis verbis abs te ab eâ doctior. X. Atqui, quæ nouerim, tecum non inuitus communicabo, modo si me dicentem tacitus feres. F. Expecto, quid dicas. X. Primum omnium, quem propinnis vides ad cutem detonsum, est. M. Terentius Varro, quantum ex numismate didici, cum faciem videas, non ne videtur esse quantiuis precii: certe, tametsi physionimiam parum studii, & operæ impenderit, tamen hoc ausim dicere huic imagini ad prudentiam nihil addi posse. F. Eratne. M. Varro ea (qua fertur) prudentia? X. Sane. F. Nunc tu igitur, si commodum est, exponas velim, quæ opera nobis legenda reliquerit. X. Quantum video, iubes .F. Non, ita me dii bene ament. X. Nunc iurato tibi fidem habeo: proinde quod composuerit de agricultura libros, de etymologia, de lingua latina, de analogia, nihil est, quod tibi prædicem, quâuis enim sint mutilati, vetustateque male habiti, extant tamen, quos te etiam legisse certo scio. F. Sane, ut dicis: perge. X. præterea, Satyras Menippeas, de recondita disciplina, Andabaram, Sessiquiulyxem, Marciporem, de vita populi Romani, Veterum instituta, quem librum dixit, Sexcenta præterea alia opera edidit, quæ omnia sigillatim connumerare non est otium: Dialecticam

M. Varro.



vero latini (si Martiano credimus) absq̃ sua ope  
ra plane ignoraremus. Sed quid ego tibi multa præ  
dicem? Sic statuo nullas literas, nullum bonarum  
artium genus intactum reliquisse, nihil, quod libera  
rum scire æquum esset, prætermisisse, deq̃ omnibus  
prolixè. M. Terrentium Varronem scripsisse. Hinc  
igitur percus literatum merito dictus a Terentia,  
no illud eulogium meruit:

Vir doctissimus vñdecunq̃ Varro.


Certe, quod nemini vnq̃ vsu euenit, propter sum  
mam eruditionem ei contigit: Vt Asinius Polio in  
dedicatione bibliothecæ, quam de manubiis extru  
xerat, imaginem Soli sibi in tanto ingeniorum pro  
uentu ibidem statuerit. Nec minus in bello Marcus  
noster Varro strenuum se præstitit: Nam Pyra  
tico bello. Cn. Pompeius Magnus imperator eundẽ  
Corona Nauali pro Contione donauit: Deinde  
Rempublicam sequutus Pompeio non defuit:  
Nam ingruente Ciuili Bello in vltiori Hispas  
nia legatus, vt Cæsarem oppugnaret Afranioq̃, &  
Petreio Pompeianis auxilium ferret, ex delectu pro  
uinciali duas legiones breui confecit, & frumenti  
magnum numerum coegit, quod Massiliensibus fa  
me laborantibus, item quod Afranianis summittere  
ret. at cum Maximam vim auri, argentiq̃ cumulas  
set, qua rempublicam commodius administraret,  
paratissimusq̃ videretur ab omnibus, quæ produ  
cendo bello necessaria sunt, Gaditanorum, Milis  
tumq̃ suorum perfidia coactus ad Cæsarem Cor  
dubã peruenit: & relatis rationibus cum fide, quod  
penes eum fuit pecuniæ, tradidit, & quod vbiq̃ ha  
beret frumenti, ac nauium, eidem demonstrauit: a



quo in columis dimissus ad Cn. Pomp. nihilominus  
Dyrrhachium traiecit. Sed fuis suarum partium militibus,  
apud Philippos cum vidisset de Rep. iam proclamatum,  
sine bello sibi statuendum duxit: in Italiam igitur delatus  
facillime Caesari satisfecit: post eius interitum per illam  
temporum difficultatem tale se praestitit, ut omnibus  
aeque charus esset. C. Octavius tandem rerum potens  
hunc in parentis dilexit loco: Fundaniam foeminae  
primariae, quod scimus omnes, habuit uxorem  
perit Nonagenario maior a M. Terentio Varrone  
oriundus, qui Rempublicam temeritate sua apud  
Canas Apuliae vicum pene perdidit. F. Optime  
mihi in Varrone morem gessisti, nunc perge, & illam,  
quae sequitur cum nouo ornamento capitis, si  
tibi commodum est, fac ut agnoscam. X. Equis  
dem tibi morem gererem mihi Francisce, si faciem no-  
scerem: ex ornamento capitis tamen, & facile libe-  
rali. Q. Metelli celeris, & Clodiae, P. Clodii sororis  
filiam possumus credere, illam dico, quae Aesopi Tra-  
goedi filio nupsit, de qua Horatius in Sermonum li-  
bris meminit

Filius Aesopi detractam ab aurae metellae,  
Nosti caetera. F. Sat habeo, sed eccum Benedictum  
tibi, occurramus. Benedictus. Saluete. Si satis vos  
nouerim, sane de maxima re nunc inter vos est ser-  
mo. X. Nihil minus here mihi: Sed est, quod Fran-  
ciscus noster eo dudum me compulerat, ut mihi fa-  
cile persuaderet optimum me antiquitatum censo-  
rem esse, studebat enim (nempe ut mihi denuo ver-  
ba daret) ex me cognoscere, cuius nomine haec sin-  
gula censerentur. B. Nihil mihi opportunius unquam  
euenit, iam pridem quippe aueo discere, quae Franci

Metel-  
la.



scus noster postulat : quamobrem mi Ponti perge  
qua cepisti. X. Haud grauate quidem hoc onus  
suscipiam, sed ea lege, vt iis, quæ dixerō, boni consi-  
latis : nunquam enim me antiquarium feci. Bene-  
dictus. Quod dat, accipimus, perge. X. Nunquā  
defugiam auctoritatem tuam : Quāobrem de Var-  
rone, & Metella, ne vobis superflua verborum mul-  
titudine sim molestior, poteris mi Benedicte, cum  
dabitur otium, ex hoc cognoscere. At respicite nūc  
ad dextram, quippe Neptunus adest cum suo triden-  
te, de quo postea, per mare cum Galatea equitans.  
Hanc pelagi deam, seu potius Nympham Nerei fi-  
liam ex Doria lacte dictam Polyphemus Cyclops  
Neptuni filius amauit : a qua cum sperneretur, eaq-  
uacim haberet in delitiis, Cyclops riualem ægre fe-  
rens saxo cōtriuuit, nec Galatea tulisset impune, nisi  
se coniecisset in Mare : De quibus in Methamora-  
posi pelignus Naso multa : Secus ostium Antonia-  
num pium videtis, qui patre Aurelio Fulvio, matre  
Aria Fatidilla. xiii. Calēdas Octobris. Domitiano  
xii. Cor. Dolabella Consulibus in Laurina villa na-  
scitur elegantia morum, & pietate conspicuus, Vnde  
de nomen pii nanciscitur Numæ Pompilio Pom-  
ponii filio sanctitate par, nā sub eo per annos. xxiii.  
bellum prorsus nullum fuit, Nihil vnquā dixit, aut  
fecit in vita, quod eum pœnituerit : ita omnes vir-  
tutes cōplexus erat, ita omnia tenebat, quæ nos post  
mortem faciunt immortales, vt charus omnibus, &  
formidini tanquam deus foret. Demum Loriis. xii.  
millibus passuum ab Vrbe septuagenarius febre,  
cum prius adoptasset. M. Antoninū philosophū,  
decessit. Post hos videtis illum sane delicatum iuue

Neptu-  
nus.  
Gala-  
tea.

Antoni-  
us pius.

nem  
ciui  
ne  
tibu  
rum  
con  
fui  
pro  
erg  
ma  
Ad  
ti, q  
can  
est.  
ex C  
ver  
tate  
ris  
uic  
vn  
So  
mi  
im  
rib  
xx.  
be  
fea  
N  
nu  
du  
Q  
gn



gem! & facie liberali! is ē Antoninus & Cithynide Antino  
ciuitate Bithyniæ delitiæ diui Adriani, cuius nomi us.  
ne Urbem in Aegypto condidit, & mortuum flebi  
sibus vocibus est p̄secutus, nec immerito, Nam fe  
runt Adrianum Apollinis oraculum de rebus suis  
consuluisse, cui respondit deus, cito Diti patri caput  
suum deberi, in quēpiam dicto citius inuenerit, qui  
pro se sponte mortem subiret: Cæteris ex cohorte  
tergiuersantibus solus Antinous p̄ Domino sum  
mano patri se patitur imolari. Alii Antinoum, ve  
Adrianus Necromantia faceret, Voluntariæ mor  
ti, quod opus erat, se obtulisse tradunt: sunt, qui di  
cant in Nilum cecidisse. Quod p̄ximum Marmor  
est. C. Caligula sic a calciamēto militari dictus, qui C. Cali  
ex Germanico, & Agrippina monstrum hominis gula.  
verius, q̄ homo omni vitio contaminatus crudeli  
tate magis excelluit, vt non iniuria fax humani gene  
ris passim dicatur, certe vox eius nefaria vnā cer  
uicem populo Romano desiderantis, quo facilius  
vno ictu amputaretur, omnes Romanos terruit:  
Sorores prostituit multis, & iis ipse abussus est. De  
mum a Cassio Chæræa cōfossus. xxiii. ætatis anno,  
imperii secundo, mense quarto dignum suis facino  
ribus exitum tulit: Multi regnasse quatuor, vixisse  
xx. & viii. añnos dicunt. Sed egrediamur iam, si li  
bet, & quæ proxima sunt, quoniam ita iubetis, recē  
seamus. F. Quo hinc abis? X. Quid est? F.  
Non ne vides illum p̄posteris oculis? X. Alias  
nunc animo res agebam, quapropter nō fuit absur  
dum, quod Franciscus in viam me redegit. Cæterū  
Q. Pompeium Strabonem patrem Pompeii Ma Q. Pō  
gni, vt est peruersissimis oculis, videtis, quem pro peius.

Fontis  
laus.

propter potentiam bello partam populus Romanus  
extimuit: at cum fulmine ictus occubuisset, a plebe  
culam, dum efferretur cadauer, e lecto abstractus ini-  
micis ludibrio fuit. Sed quid hoc mōstri est mi B  
nedicte: ita parasti te, vt omnia bona, quæ tua non  
solum industria comparasti, verum etiam, quæ tibi  
moriens reliquit pater, vno fonte exornando Velis  
prolicere. B. Satis sanus es, qui in tam parua re  
adeo debaccharis? X. Tam parua est enim uero  
At cum fontem Hippocreni, & Blandusæ, quem  
suis versiculis Horatius exornauit, & Vergiliano  
fonti iure prætulerim: Nam quãuis hic Nymphas  
rum domus nulla, Viuoq; Sedilia saxo desideretur,  
Sunt tamen tot signa pulcherrima, quibus ad vitam  
vix spiritus deest, tot marmora ad vnguem compa-  
cta, tot spongiæ, tot Symphones, & fistulæ ex ære,  
plumbo ue, vt non solum, quos superius diximus a  
poetis celebrari, non solum antiquos: Sed quos no-  
orates flammines impensa mira construxerint, vel  
sternium suffragiis facile vicerit. In his natura se se  
commendat, in illis ars imitatur naturam, at hic &  
naturam, nec minus artem longo post se reliquit in  
teruallo: Nam quid prius memorem, loci ne opor-  
tunitatem, an ornamentum? certe plurimum vi-  
derunt, qui non fictitium, Topho sed naturalē fontem  
pene fecerunt, at situs ipse, is (inquam) locus  
plurimum commédationis meretur, vtpote qui So-  
li, dum oritur, obuersus excludat etiam meridiē, nec  
minus Septentriones aduersus occidenti sit obno-  
xius, quo fit, vt hyeme, veræ, æstate, autumnoque sit  
semper amabilis: Nam nec Boreæ frigus huc pe-  
netrat, nec flatus orientis noxius hunc inficit, nec Au-



ter humidus aspirat : soli Zephyri, soli (inquam) Fauonii, qui fortunatas etiam soli insulas perstant, hac tam grata statione morantur, Soli aspirant, Soli, cum lassiores sunt, huc se recipiunt: Nec tantum grato fontis aspectu illecti, q̄ domini mira comitate, probitateq; commoti, cui nec præterita, nec præsentia parem fata tulerunt, nec sequentia tempora tam audebunt sperare : Vnde quamuis pluribus vitis nostra ætas inquinatam se videat, hoc tamen solo nititur, hoc solo aliorum labes solatur, hoc se denique solo sustinet: Sed vt redeam ad fontem, mortale non hoc ingenium excogitauit : Gualdensis cæcus Pirithæus pro sua p̄bitate, & integritate mortuum viuens in cœlum raptus est : & ibi vidit Eriodani fontem mire manantem : inde ad suos relatus instar eius hunc excogitauit : Sed vereor, ne mēdax facile videar, vt pote qui falso fontis auctorem nominauerim : Non enim cæcus Architectus, Sed operarius : at tu Benedicte fuisti solus, qui e cœlo tantum fontem tuo ingenio deuocasti : Nec mirū, si te dii immortales adhuc uiuentē eo penetrare permiserunt, quo sis moriens nihilominus assensurus : Tua pietas, liberalitas, integritas, tua (inquam) bonitas iandudum cœleste regnum meretur : at ego deos immortales rogo, quæsoque, in cœlum sero te recipiant : Nam quid tandem sine te poterit ad bonitatem mundus : quis facinora flagitiosa sine te vindicabit : Ah vereor pluribus in os te laudare, ne hoc totum scilicet tuis auribus dedisse me credas. B. Falso. X. Itaq; nunc, quæ pro fonte sunt marmora, nominibus absurdum nō erit initiare. Qui primum se se offert, Canaphoræ Truncus est quantū

Canaphora.

ex veste suffarcinata conuicimus : Nec vos moueat  
caput, Gethicum quippe temere huic imperitus art  
fex aptauit : Sed ad propositum : Canaphoras e  
cilia surreptas elegantiforma Verri obiicit Cicero,  
quas latine Cistiferas non absurde dicere posse vi

**Silenus**

lento gradu incedebant : Hæc proxime sequitur S  
lenus Satyrum, vt erat, facie referens, in sinu gestat  
vvas non oblitus alūni, baculo nititur fenex, Canē

**Antæus**

luris filius Antæus, quem ferunt Lybiæ gygātem,  
quoscunq; offenderat, ad luctam prouocasse, hos,  
cum vicerat, interficiebat : Hercules tandem con

**Gany  
medes.**

tum elisit. At videtis : is est Ganyme  
des Laomedontis frater, quem cum rapuisset iussu  
Iouis Aquila, in Aquarium cœleste signum com

**Messali  
na.**

mutatum ab amatore fabulæ ferunt. At te Messa  
lina dii perdant, quæ quasi conscia tui sceleris latis  
tas. B. Quæ nam erat hæc mi Xanthe? X. Bar

**Venus.**

bati Messalæ natam vides Claudii Neronis vxore  
prodigiosæ libidinis, quæ viuente Claudio Princis  
pe marito. C. Silio pulcherrimo iuueni nubere non  
dubitauit, qua re permotus coniunx eam, quamuis  
vnice diligeret, & ex eadem Britannicum, & Octa  
uiam genuisset, interfici nihilominus iussit. Fluiuo  
rum vero sigilla, vt nostrates celebremus, unum Cl  
tumni, alterum Naris nomine donabimus. At Ven  
neris simulacrum in angulo situm contemplemur,  
Videtis ne maiestatem diuinam oris illius? quam ex  
virilibus Cœlia Saturno filio amputatis, & spuma  
maris ortam dicunt, Hanc propterea Græci




appellant. Plures fuisse Veneres in natu-  
 ra deorum prædicat Cicero, Sed hanc deam non so-  
 lum concubitus, sed & omnium elegantiarum præ-  
 dem ferunt. Huius ex aduerso videtis Sacerdotē  
 Isidis ægyptiæ deæ cum pera: vt tristis est: Nempe  
 (opinor) quod nihil iam lucrifecerit, nam vacuas  
 operas video: Sed deluditis me! B. Quid! X.  
 Quia ridetis, cessabo. B. Isto modo perge, quæ-  
 so, non enim imperite exorsus es, nec, si rideo, te de-  
 rideo. X. At quem non moueret caput Cleopæ-  
 ræ Aegypti Regine dolore contractū in ipso mor-  
 tis curriculo: cuius gesta quamuis in vita. M. Anto-  
 nii Plutarchus absoluat, nos tamen hæc pauca no-  
 stro non aliena instituto subiecimus. Hæc Ptole-  
 mæi Soteris filia tanta elegancia sermonis, & figuræ  
 fuit, vt omnium animos ad se alliceret: Nam  
 non solum cum. C. Cæsare breui summam contra-  
 xit familiaritatem, sed ex eodem Cæsarionem susce-  
 pit, quæ pulso & interfecto fratre ab eodem Roma-  
 no Imperatore totius Aegypti regnum adeptæ est:  
 Nec hoc contenta. M. Antonium eo compulit, vt  
 repudiata Octauia Augusti sorore ipsam in vxorē  
 duceret, & Augustum suis frætus copiis prouoca-  
 ret. Victus igitur apud Actium Epiri Antonius, &  
 fuga in Alexandriam delatus, cum nulla euadendi  
 spes esset, & mortuam Cleopatram crederet, sibi mor-  
 tem consciuit: Cleopatra uero, ne duceretur in Tri-  
 umphum, admotis Aspidibus (vt aiunt) Mamme  
 expirauit, & cum. M. Antonio tumulari meruit an-  
 num agens. XLI. Similem vidimus adhuc integrā  
 Romæ. En Germanicum tibi, At quæ indoles elu-  
 cet in puero! Hic ex Druso & Antonia Minore na-

Sacerd.  
Isidis.

Cleopa-  
tra.

Germa-  
nicus.



Lupa.  
Romulus  
lus &  
Remus

tusa Tyberio adoptatus plurimum Græcis, & Latinis literis incubuit: Aratum etiam Versibus Heroicis in latinum non sine successu transtulit. Tantas postremo dotes animi, & corporis habuit, quantas antea nemo. Hinc diutius dubitauit Augustus ipsum ne, an Tyberium successorem sibi relinqueret. Obiit autem adhuc iuuenis Tyberii (vt putant) fraude. Quid? non videtis Promethei caput marrentis? Marmoreus etiam videtur sentire vincula quibus Caucaſo constrictus erat: Plurima sunt etiam capita, prope que nescimus. Sed in basi Lupam cum Romulo fratremque, primo ne aspexeramus quidem pulcherrimum sane sigillum, & memoratu dignum. Vt igitur Urbis Romæ Fundatores non omnino prætermittamus, ex Rheæ Syluia Virgine Vestalis Numitoris filia Mars Romulum, & Remum suscepit, quos Amulii patruus Regis Albanorum iussu Tyberis sibi expositos statim refugit: At foeta decurrens Lupa propriis uerberibus eosdem ab omnibus destitutos aliquantisper aluit. Mox Faustulus Regii pecoris Pastor nutriendos Accæ Larentiæ Coniugi tradidit. Sed quid ego plura de iis, quos mille rerum Scriptores iam celebrauerint? Nec est quisquam amplius in fonte, quem dicamus. Quamobrem videtis supra ostium Cellæ uinariæ uirum cum cane tergiuersantem? is est Icarus Atheniensis Pastor: Hic Erigonem genuisse dicitur, quæ a Liberopatre sub uuæ specie cum uim passa fuisset, pro nobili stupro cum patre ab eodem Baccho uini uinum didicit. Sed Icarum Athenienses ab eodem uini uinum edocti, temulentique rati sibi uenenum propinatum interfecerunt, & insepultum abiecerunt. Neæra

Icarus.



vero defuncti canis Erigonē conueniens perduxit  
ad patrium cadauer. At cū in hymeto monte post  
patrem sepultum puella doloris impatiens laqueo  
se suspendisset, Iupiter Bacchi precibus Erigonem  
in Virginem, Icarum in Arcturum, & Neeram ca-  
nem in caniculam mutatos in Cœlum transtulit.  
Atheniensibus vero non solum pestilentiam, ve-  
rum etiam Virginibus suis huiusmodi furorem im-  
misit, vt pleræq; laqueo vitam finirent. His Mōstris  
attoniti Ciues consulunt Apollinem, qua nam ra-  
tione possent iram Deorum placare, quibus Deus  
respondit manibus Icarī, & Erigones parentandū  
talibus respōsis Attici plurimas imagines inter cę-  
tera piacula & Erigone, & patri cū Neera statuen-  
tes consacrauerunt. Quem vero secundum trasen-  
nam videtis. P. Decii Muris se Diis manibus de-  
uouentis, & secum legiones Samnitiū species est,  
Nec ab eo Pancratius (Pollucē credo) longe abest  
tenens manibus cestus: Gallus est etiā Matris ma-  
gnæ Sacerdos cum patera, quorum Sacerdotum  
coinquinatissimas Cærimonias Apuleius ad vn-  
guem describit: Nec abest Morpheus somni Deus  
nec minus Mithridatem ponti Regē, Liuiam præ-  
terea Medullinam Claudii sponsam cognoscimus,  
quam Cęsar ipso die nuptiarum amisit. Pro portis  
orei cetratum Nasamona cum Leone pugnantem  
videtis, at quem cum ense falcato virum se præstat:  
F. Nihil est amplius in cauædio mi Xanthe præ-  
ter Anubim supra portam maioris aulae, quem sci-  
mus omnes Mercurium apud Aegyptios dici, vn-  
de astant sibi Canis altero pede elato, & Serpens  
trunco Platani se attollēs, Hinc latororē Anubim

P. Des-  
cius.  
Pollux.  
Gallus  
Sac.  
Mor-  
pheus.  
Mithri-  
dates.  
Liuiā  
Medul-  
lina.  
Nasa-  
mon.  
Anubis

recte dixit Vergilius. Serpētem veto Aesculapium  
intelligamus. Nam liber pater Apollo Mercurius  
secundum Atlantiorum disciplinam iidem sunt,  
quam sententiam si non agoscitis, nec probatis, al-  
teram in medium producam. Scimus omnes Mer-  
curium Eloquentiē presidem, quē clanculum, sicut  
Serpens in corpus, in animum irrepit: Serpentem  
igitur mystice pro Eloquentia positum dicamus:  
Nec nos moueat, quod Mercurium nunc equitem  
conspicemur, quippe cum Maia genitus sit Inter-  
pres Iouis, & nuntius, non immerito, equus quod  
sit animal apud nos velocissimum, Itatuarii, scul-  
ptoresque eundem Equestrem fecerunt, & Tala-  
ria sustulerunt: præterea, cum sit idem Sol & Mer-  
curius, & secundum Ouidium.

Placet equo Peris radiis Hipperiona cinctum,  
Ne detur celeri victima tarda Deo.

Merito in equo sedētem Mercurium fecerunt, Pla-  
tanus vero, qua sustinetur Serpens, siue is Laurus  
sit, vt magis videtur, Phœbo sacra, & vmbra, & me-  
dellis quibusdam adhibita plurimum confert ad  
sanitatem, quare non immerito hac arbore nititur  
sub Serpentis specie Aesculapius: Sed vereor, ne  
tandem mihi succenseas mi Ponti, quod tuas par-  
tes te inscio iandudum sustineam, & te fortasse no-  
lente, aut certe non probante talia tuis doctissimis  
verbis adiecerim. Quamobrem quam mox ingre-  
dimur: vt quod superest, transigas: quid restitas?  
X. Quid hoc: an nōdum vestræ expectatiōni fa-  
tiffeci: F. nondum. X. Atqui putabam quid-  
dem. B. Perge (inquam)eamus. X. Distinēt  
me quasi feriatū a studiis meis hodie. F. Quali



vero in eadem non sumus nauis. Sed heus tu, Satius est non cepisse, quam ab inceptis desistere. X. Mos gerendus est vobis tandem, video. Quamobrem introeamus. Videtis ad dextram supra Cubiculi illius portam? ni fallor, is est Pompei magni iuuenis vultus, quem præterire tacitum satius est quam pauca dicere. Videtis profecto, quãtus decor, quãta maiestas adit in facie illa, quantum venustatis, habeat Cnæus: quapropter absurdum Flora meretrix in eo nihil egit, scire vos arbitror, quid dicam, Unde sum breuior, is Imperator prius, quam Miles, Siciliam, Hispaniam, Africam, Asiam, Armeniam, Pontum, Paphlagoniam, Capadociam, Ciliciam, Syriam, Scythas, Iudæos, Albanos, Hiberos, Cretam Insulam, Basternas. Q. Sertorium nulli militia inferiori, Mithridatē, & Tigranem Reges in potestatem Populi Romani redegit. iii. Cos. ter Romæ summa pompa triumphauit: demum Bellis Ciuilibus ingruentibus, cum semel apud Dyrrachium Cæsarianas Copias fudisset, ad Philippos Macedoniae Urbem a Socero acie victus Temeritate suorum, & castris exutus est, qui ex infelici prælio fugiens cum Vxore Cornelia, & filiis in Aegyptum iussu Regis Ptolemæi ab Archilla: & Phostino obtruncatur annum agens. lxxvi. Huius caput ad se delatum Cæsar aduersatus de patricidis supplicium sumpsit. Qui proxime accedit, est Augustus adolescens, at qua pulchritudine Dii immortales? Quamobrem minus miror, si Cicero mercatum fuisse ab Auunculo maiori stupro nobili Imperium Populi Romani eundem dixit, & Vergilius eiusdem pulchritudinem, & in oculis lætos ho-

Pompeius.

Augustus.

nones prædicauit. Sed incertum est, vtrum magis ab ineunte ætate Rempublicam vexarit, an in grauescens extulerit. Vnde vox illa. **VTINA M** aut nunq̄ natus esset, ut nunq̄ moreretur. Cæterū Patre. **C. Octauio**, & Actia Cæsaris nepte genitus (sunt, qui pistore, nonnulli Argentario natum dicunt). **ix. Cal. Octobris. M. Tullio Cicerone**, & **C. Antonio Coss. C. Cæsaris** mortem vltusquinq̄ bella ciuilia victor gessit: cum duas accepisset clades in Germania Lolianam, & Varrianā, & ibi per Drusum rem restituisset, Ianum geminum clausit, Pluribus frustra petitis insidiis tandem. **lxxvi. ætatis** anno Nolæ diem clausit extremum, cum imperasset annos. **lvi.** Quod videtis ex aduerso caput, multi. **M. Bruto** tribuunt falso, nam quæcunq̄ Numismata Tyrannicidam referentia manibus meis inciderunt, eum semper imberbem, & summa macie fingunt, at hic est habitior, capillo promisso, quod in Bruto nō fuit, & barba prolixiori, quo fit, vt Antoninum Commodum potius dicā. Qui. **M. Antonino Philosopho**, & Faustina genitus pridie **Cal. Septembris** patre, & patruo Coss. omnibus vitiis coinquinatissimus fuit, demum a Martia concubina strangulatus Anno Imperii. **xiii. vitæ. xxxii.** cum maxima lætitia totius orbis diem clausit extremum At quem in penitiori parte Aedium videmus. **M. Antoninus philosophus** vere dignus hoc nomine **Annio Vero**, & **Domitia Caluilla** natus, imperauit annos. **xviii.** Vixit Annos. **lix.** at effigies hæc, dum adhuc Antoninus pius regnaret. Marco ætate iam integro posita est. Sed egrediamur nunc si liber, & Cœnaculum ascendamus. Quam proxis

Ant.  
Cōmo  
dus.

M. Ant.  
Phil.



nam supercilio portę videmus, Stratonicę Mithri Strato-  
nicensis concubina pene mutato sexu Regę per asper  
rima quęq; fugientem nunq; deseruit, semper eidę  
pręsto fuit, nonnunq; cum confertis militibus Ro-  
manis acrius pedem inferętib; occurrit, & sæpius  
pugnam restituit. Quem pro fornace ad dextram  
videmus. Claudius Cęsar insano propior semper  
est habitus: demum cum per Annos xiv. Rempu-  
blicam vexasset, anno ætatis. lxxiii. fraude Agrip-  
pinę Coniugis occubuit, de qua re Iuuenalis.  
Bolletum, qualem nec Claudius edit.  
Nam Bolleto venenis delibuto sublatu; est. Ad si-  
nistram. M. Agrippam. M. Filium ex Iulia Augu-  
sti Filia videtis, qui indies amentior Aui iussu in so-  
las terras deportatus cito periit. Sed gręcã figurã  
secundam obseruantem portam facie hilari, barba  
ad pectus promissa intuęti mihi Solonis subiit re-  
cordatio, qui de septem Gręcicę Sapientibus Sala-  
minius Tarquinio prisco Romę regnante Athe-  
nis floruit, vt testantur Annales: eius legibus Atticę  
Patres cum Plebecula discidentes in vnum coalue-  
runt. Pro Foribus tertiis Liuiam Drusillam ex. C.  
Tiberio Nerone Marito pręgnantem Cęsar Au-  
gustus sibi habere voluit, & vsq; ad mortem perse-  
ueravit amare, cuius factione Tiberius post victri-  
cum rerum potitus est. Postremam Cossutiam vi-  
detis, quam. C. Cęsar puer adhuc sibi desponsatam  
post mortem. L. patris intactam dimisit: Sequitur  
hanc in secretiori domus parte. M. Brutus, qui con-  
iurationis in Cęsarem caput a seruo (se iubente)  
confossus obiit Quadragenarius apud Philippos  
ne in manus hostium viuens perueniret, vir certe

Claud.  
Cæs.

M. A  
grippa.  
F.  
Solon.

Liuiã  
Drus.

Cossu-  
tia.

omni laude maior, quem vere quidam rerum Scrip-  
tores vltimum Romanorum dixerunt. Hic autē  
natus ex. Q. Cœpione Bruto, & Seruilia. M. Cato-  
nis Iunioris sorore. C. Cæsaris filius dicebatur. Vn-  
de Tranquillus Interitum Iulii describens, Ferunt  
irruenti Bruto, & plagam ferenti dixisse Cæsarem.

quæ vox illi vltima fuit. Secunda  
ab hoc Julia C. Cæsaris filia. Cn. Pompeii Magni  
vxor summa prudentia mulier, quæ patrem, & ma-  
rium potuit, dum vixit, inter se minime congruen-  
tes conciliare abortu perit, & lucū publico elata,  
in Campo Martio tumulum meruit. Hanc suscepe-  
rat Cæsar ex Cornelia Cinnæ. iiii. Consulis Filia.

M. Agrippa Sed ima custodiunt Aedium tuarum, M. Agrippa  
de quo Vergilius.

P. Parte alia ventis, & Dis Agrippa secundis;  
Arduus agmen agens.

Et Plinius in Septimo naturalis historiæ. In pedes  
procedere nascentem contra naturam est, c quo ar-  
gumento eos appellauere Agrippas, vt ægre par-  
tus, qualiter. M. Agrippam ferunt genitum vnico  
prope felicitatis argumento in omnibus in hunc  
modum genitis, quamq̃ is quoq; aduersa pedū va-  
letudine, misera iuuetra, infelici terris stirpe omni,  
sed per vtrasq; Agrippinas maxime, quæ. C. Calis-  
gulam, & Domitium Neronem Principes genuere  
totidem faces humani generis: præterea breuitate  
æui quinquagesimo primo raptus anno, in tormē-  
tis adulteriorum coniugis, Soceriq; prægravi serui-  
tio fuisse præposterioris Augurium existimatur.

Fulvia. Hæc ille. At Fulvia, quam videmus ibidem, M.  
Fulvii Nobilitatis, qui cum Cornelia in Patriâ con-




iuravit, filia primum. P. Clodium Ciceroni inimicissimum, secundum. M. Antonium Triumvirum maritos habuit tractare arma, ductare Exercitum, ferere discordias, quam lanificio, doctior: Hanc in Philippicis Bambalionis natam Cicero compellat. Ultimus est Drusus Nero Tiberii Principis frater, quem Augusti Filium fuisse quidam tradiderunt, Unde vox illa, Felicium & trimestres filii: Rhæticos, & Vindelicos acie vicit, reliquosq; Germanos ferocius ingruentes repræssit, demum lapso super crus equo iuuenis adhuc expiravit magno victrici, siue patris merore. B. Quiesce paulisper mi Xanthe, deinde in Aedicula quæ sunt capita, recognosces. X. Non est otium, quamobrem, quæ reliqua sunt, transigamus, & quæ primum ad exitum perducamus. B. Ut libet. X. Atqui videtis, qui primus ingredientibus nobis ad dextram se se obtulit: est Philippus Persei Pater, Macedoniae Rex. Bello quidem Strenuus, sed crudelissimus omnium: ut pote qui Demetrium Filium falsa suspicionem commotus interfici iusserit: idemq; omni vitio coopertus: quem. T. Quintius Flaminius Consul fugavit, & intra fines Macedoniae redegit, & obsides: imprimis filium dare coegit. Hippolytem vero, quam secundum fenestram videris, Amazona Hippolyti matrem Theseus maritus iurgio laceratus interfecit. Veruntamen mi Francisce Benedictus noster (nescio Herum, an amicum dicamus, sed Herum potius) Fascinum timet, Nam video Lamias toruo vultu deteriori conditione, quam sit quispiam e Coclitum familia. Franc. Qui? X. Quia illi tantum oculum, eæ vero nullos habent.

Drusus

Philippus.

Hippolyte.



F. Atqui mi Xanthie Terricula, quæ in Theatris  
apponi solebant, vt eorum specie pueri, qui essent  
in sedilibus, taceret, esse arbitror. X. Ita res est, vt  
dixisti Francisce: porro, quoniam de Lamiis est ser-  
mo, est ingluuies, a qua Lamiæ Deuoratri-  
ces puerorum, de quibus Ouidius multa, & eo loco  
præsertim, qui sic incipit.

Nocte volant, puerosq; petunt nutricis agentes.  
& quæ sequuntur. Nihil est ergo, quod præter ef-  
fossos oculos earum toruitatem mireris, quamuis  
& meretrices, vt pote quæ humano generi sint exis-  
tio, Lamiæ dici possint. Sed de iis hæc hactenus. Hæc  
paruula Neronis ex Popea filia maior bimula pe-  
riit. Videtis Saphonem: ea est, quæ Phaonem ins-  
faniuit, nempe ex Mithylenæ tribulis Alcæi ab An-  
tipatro Sidonio decima musarū dicta nimio Phao-  
nis desiderio correpta tanq̄ furore percita e Leucas  
de Promontorio se præcipitē in mare dedit: Quæ  
sequitur Bacchus, qui Iouis e Semele Beotia filius  
vsum vini Græcis primus monstrauit, & optimus  
Imperator in Indiam vsq; Victor penetrauit, inde  
Triumphans in patriam rediit: nec est aspernatus  
muliebres copias, quas Thyrsis armauit, Cornua:  
& perpetuam iuuetam propterea Libero ascribūt,  
quod temulenti superbiam, & simplicitatem, quod  
est puerorum, induant.

Claudia  
Sapho.

Bac-  
chus.

Aure-  
liam.

Q. En-  
nius.

Sed Bacchum, si placet, omittamus: & Aureliam  
C. Cæsaris matrem. L. Cæsaris Vxorem cum Ca-  
liendo cōtemplemur, quæ. P. Clodium muliebri,  
vt nuru Pompeia potiretur, habitu deprahendit:  
Q. etiam Ennium videamus, qui Rudis Oppido  
Calabrię natus. Q. Valerio, & C. Manilio Coss.



P. Scip. Africanum Superiorem carminibus celebrauit: demum morbo articulari mortuus cum eodem. P. Africano Linterni (vt aiunt) sepultus fuit. Dorus adest Cæsaris seruus, de quo in Epithaphiis tuis Franciscus noster meminit: duo, quæ super sunt hic, capita, si mihi licet apud vos vera dicere, quibus ascribā, nescio: sunt, qui primum post Dorum, M. Marcello Cæsaris Augusti Nepoti ex sorore, qui prima iuuenta raptus est, alterum caput Turpilio Tragico, cuius Carmina Nonius Marcellus sæpius citat, ascribant, At videtis prope Altare plenum illud os? F. Sane. X. Ea est Atalanta, quæ Schænei Regis filia cōsulto Apollinis oraculo statuit Virginem perpetuo degere. Sed cum pulchritudo votis obstaret, & facultates eēnt patri maxime, proptereaq; multi eam peterēt, statuit vno verbo procos omnes a se missos facere: respondit enim nulli se nupturam, nisi qui cursu eam superasset, alioqui victos capite pœnas daturus: cum plurimi succubuisent, accessit Hyppomenes demum Macharei filius, qui Veneris opera puellam superauit, & eadem potitus est: Atalantam etiam Meleagri vxorem Iulii Argiuorum Regis Filiam fortitudine, & specie prestantissimam Scriptores memoria tradiderunt: Secunda ab ea ad sinistram Fatua Fatueli vxor se nobis ingerit, aliqui Faunum, & Faunam eosdem dicunt, quod futura vaticinarentur Vnde Ennius in primo Annalium.

Versus, quos olim Fauni, Vatesq; canebant.

Horum filius Aboriginum Rex Latinus fuit cuius celebris fama ad nos vsq; perdurat. Hanc Fatuam

Dorus.

Atalanta

Fatua.

Octa-  
uius.

Hippia

Cæsar.

Iupiter.

Bonam Deam Romani quondam dixerunt, quam Varro scribit eo usque castam fuisse, ut nemo illam, dum vixerit, præter maritum Faunum viderit, aut nomen audiuerit: Qua de re Romanæ matres familias illi in operto rem sacram faciebant. Alii aliter sentiunt, Affirmant enim, cum ebibisset vno haustu Amphoram vini, a marito, cum hoc didicisset, interfecit: & cum facti poenituisset, eundem mortuam numero Deorum ascripsisse, & bonam Deam minores dixisse. Hinc. C. Octavius, qui & Augustus iuuenis, de quo multa superius, hunc sequitur Mima, cuius amicitia M. Antonium nimis oblectatum scribit Cicero in Philippicis: Mimi vero, & Pantomimi inter actus comœdiarum, variis saltibus, saltationibus, & obscœnis moribus populum oblectabant: Tertius ab Octauio est. C. Cæsar puer, quo tempore Nicomedis Bythinia Regi, se prostituisse satis constat fama fuit: qui cum totum Orbem terrarum a Rep. ad proprium conuertisset Imperium, & se palam Tyrannum præstaret, a consuratis suæ Dictaturæ Anno tertio, ætatis. lxxvi. in Curia Pompeiana tribus supra viginti vulneribus Martiis Idibus confossus occubuit. Penes quem Capitolinum Iouem videtis, de quo sic scribit Varro, rerum diuinarum libro primo. Saturnus alterum fratrem Tytana maiorem natu habuit, qui quidem Tytan, quamuis iure gentium Cretensi Regno potiri deberet, fratri tamen facile cessit ea conditione, ut si quos haberet e Rhæa, filios perderet, natus aleret: Saturnus sancte adiurat id se facturum. Primo igitur partu Rhæa geminos enixa est, Iouem scilicet, & Iunonem, Iouem furtim Corybætibus alendum



tradidit, solani peperisse Iunonem mentitur. Secūdo itidem partu cum Neptunum, & Filiam, cuius nomen non idem tradunt Auctores, sustulisset, ablegat Neptunum, fœminam tantum propalam habet. Tertio loco Glaucam & Plutonium cum genuisset, Plutonium e conspectu subducit, solā Glau- cam peperisse mentita. Fratres, cum adoleuissent, facta Coniuratione Patrem a Tytane iam oppressum liberant, patrum cum sobole obruncāt, & Saturnum in Regnum restitunt: A quo cū sibi comperissent in adias fieri, patrem rursus eiciētes, Bello persequuti sunt, qui omnium rerum egenus ad Ianum Aboriginum Regē in Italiam delatus, apud eū latitauit: Adolescētes Regnū Crete sic diuiserunt, vt montana Iupiter, Vallium iura Pluto, Maritima Neptunus, & Insulas adiacentes possideret. Hinc datus est Fabulæ locus Ioui Cœlum, Neptuno maris Imperium, Plutoni inferorū loca sorte euenisse. Porro ne credideritis Iouis Tonantis in Capitolio cōsacratū caput hoc fuisse, sed Tuscanicum Sigillum, Onyx autem (vt videtur) est lapis, cui proximus est Sporus Neronis Cinædus, quem in mulieris naturam virilibus exectis, idem Domitius Nero mutare conatus est: Vnde nō immerito Iuuenalis Lacernatam Neronis amicam vocauit hoc versu.

Ipse Lacernatæ dum se iactaret amicæ.

Nunc, quoniam recensuimus, quæ in ardicula sunt: Portam maiorem signa obseruantia, quod super est, impræsentia videamus. In medio est Ianus biceps, & merito, namq; portarum custos semper est habitus, biceps autē fingitur, quod ex præteritis

Sporus

Ianus.

Agrippina,

L. Septimius.

Domitianus.

futura coniceret: fuit Aboriginū iustissimus Rex, qui primus æris signati vsum excogitavit, & pecuniam in comeantium utilitatem mortalium, nam prius, quibus indigebant, inter se permutabant, inuenit: quod Saturnum fugientem Natorum arma hospitio comiter acceperit, superius exposuimus, reliqua Regis huiusce Pelignus Poeta primo Faistorum pluribus exprimit. Ad dextram est Agrippina Domitii Neronis Mater, quæ Bolleto Claudium Principem maritum, & patrum sustulit, concubuit cum filio, cuius denuo fraude moriens suis facinoribus flagitiosissimis finem imposuit: fuit autē Germanici, & eius vxoris Agrippinæ filia nulli scelere secunda: de qua Secundus Seneca, in Tragedia posteris multa memoriæ prodidit. At Iani sinistram. L. Septimium Seuerū videmus, qui Partos, Arabas, Adiabenos, in ditionem redegit: Articuli morbo in Britānia anno Imperii. xviii. ætatis. lxx. periit: duo reliqua, quoniam tantū inchoata, nec perfecta sunt, vt abortiua capita prætermittamus. At in fronte Piscinæ (ne quid intactum sit) primus Flavius Domitianus Cæsar Augustus, a Vespasiano Patre, & Tito Fratre Princeps longe alienus, Crudelitate, & Luxuria insignis, perfidia famosus, Iuliam ex fratre neptem violauit, & in delitiis habuit, quæ abortum facere sæpius a patruo coacta prima iuuenta defecit, de qua Iuuenalis.


Cum tot abortiuis fœcundam Iulia vuluam Soluerit, & similes patruo cum redderet offas. Patrem nec minus fratrem potitos imperio per insidias voluit opprimere, multos illustres nulla cau-

sa in  
Nero  
Catt  
Bibl  
rum  
peri  
omn  
toni  
cor,  
fuit.  
poti  
to C  
ron  
L. C  
cio  
liur  
for  
par  
in S  
gia  
lite  
bur  
& I  
tul  
mo  
vel  
gis  
iur  
An  
iur  
aff  
lur



sa interfecit, plures proscripsit, Caligulae postremo  
Neronique moribus ppior, & flagitiis fortasse prior  
Cattos, Germanosque insurgentes cladibus affecit,  
Bibliothecas incensas Romae restituit, domesticorum  
tandem conspiratione. xliiii. ætatis anno, Imperii.  
xv. interceptus occubuit, cuius Acta Senatus omnia  
rescivit. Cæterum huic, qui sequitur. M. Antonio Triumuiro.  
M. Antonius facundissimus Orator, de quo. C. Cicero  
noster multa proscripsit, auus fuit, quem Syllanas  
partes secutum. C. Marius rerum potitus necari  
iussit, Pater, M. Antonius cognomẽto Criticus:  
Mater Iulia. L. Cæsaris soror post Antonii mortem.  
P. Lentulo Suræ nupsit, quem cum L. Catilina  
sentientem. M. Cicero Consul supplicio affecit.  
Hinc initium Antoniani furoris in Tullium, sed  
Antonio ab ineunte ætate insignis erat forma, qua  
fertur conciliatus Curioni pudicitia suæ parum  
consuluisse: qui cum. A. Gabinio profectus in  
Syriam magister equitum plurima pugnas egregia  
facinora edidit: plurimum liberalitas apud milites  
eum commendauit. In Urbem reuersus Tribunus  
plebis creatus. C. Cæsaris partibus adhæsit, &  
Pompeium nõ destitit oppugnare, quousque  
Lentulus Consul eum Curia prohibuerit: Quare  
per motus ad Cæsarem mutato habitu, & conducto  
vehiculo contendens eundem contra patriam  
magis inflammauit, & Bellum gerentem strenue  
adiuuit. Quamobrem rerum summã Cæsar adeptus  
Antonium sibi in consulatu Collegam renuntiare  
iussit, & mox Dictator magistrum equitum eundem  
assuit. Sed Antonius cum Diadema Cæsaris capiti  
lupercalibus imponere conatus esset, causam præ-

M. Antonius.



buit coniuratis maturandæ Iulio necis. Post interitum cuius cum .D. Bruto Galliam decretam. S. C. prouinciam armis eripere tentasset, Hostis patriæ a Senatu iudicatus a Consulibus Hircio, & Pansa fufus apud Mutinam, & castris exutus adnente. C. Octauio pro Republ. ad. M. Lepidum in Galliam transalpinam cum equitatu, qui superfuerat, magnis itineribus contendit: quo tandem receptus, & per eum Octauio conciliatus, Interfectores Caesaris vitus est: Libellum repudii Fuluiæ cum misisset, Octauiam sororẽ Octauii duxit uxorem, ex qua plures liberos suscepit: mox cum triuui. C. Octauius, M. Antonius, M. Lepidus nullo contradicente totius orbis Imperium inter se partirentur, Antonio Asia euenit, is in Ægyptum delatus Cleopatre illecebris, vt erat mulierosus, breui deuitus post Octauia repudium Reginam duxit uxorem, qua re commotus. C. Octauius Exercitu comparato terra, mariq; tandẽ apud Actium Epiri Promontorium nello nauali. M. Antonium deuicit, & fugientem persequutus in Alexandriam desperatis iam suis rebus sibi manus coegit inferre. Perit annum agẽs sextum supra quinquagesimum vitis pluribus coopertus, ac virtute militari, & liberalitate conspicuus. Ab iis tertia Manimæa Varii Heliogabali Sobrina Varium conjugem habuit, ex quo Alexandrum Seuerum Imperatorem sanctum bonum genuit, cū quo simul imperauit mulier sancta, sed auara. Tandem cum filio Imperatore in tentorio Maximini perfidia necatur annum agẽs quadragessimum octauum, Christianam quidam fuisse scribunt. Tria etiam sunt sine loco capita, quæ si


Mam  
mea.



lentio præterire propter eorum pulchritudinē in-  
dignū statui, ex quibus qui primus est. M. Flavius  
Constantinus Constantio, ex Helena vxore natus  
(alii Cōstantii cōcubinā ferūt Helenā) primū Sar-  
matas vicit, deinde Gallias, Hispanias, & Gottias  
Alpes in potestate redegit: ex Maxentii Tyrannide  
Italiam liberauit, & quod caput est, Principum pri-  
mus Christum professus ab omnibus suo subie-  
ctis Imperio adorari iussit: multas Barbarorum  
nationes subegit, vnde magni nomen accepit. Tem-  
pla Christo Optimo Maximo. eiusq; nūtiis multa  
excitauit, Byzantium instaurauit, & a se Constā-  
tinopolim dixit. Demum tribus liberis superstiti-  
bus, cum triginta regnasset annos, Constātinopoli  
moritur, & ibidem sepultus est. Sequitur Seruus  
Aethiops, quem ignoramus. Vltima Diua Fausti-  
na ætate iam grauis. Hæc. M. Antonini Philoso-  
phi cōiunx Cōmodi mater gladiatoris amore cor-  
repta non prius cum viro rem habuit, quam gla-  
diatoris illius ab aduersario vulneribus confecti,  
cruorem hauserit, cum nulla potiundi eiusdem an-  
tea data sibi fuisset facultas. Et hoc ex Caldeorum  
præcepto, nō inconscio coniuge, sed pleriq; totum  
quod dixi, tanq̄ adulterinum repudiant: illud satis  
cōstat vbiq; Faustina, verum apud Caietam po-  
tissimum, bene mentulatos sectatā pluribus emis-  
sariis ad hoc, id quod pudet dicere, destinatis nec a  
nautis, nec a gladiatoribus abstinuisse conscio qui-  
dem, sed dissimulāte, M. Antonino, qui tam bellā  
tam sanctam vxorem in radicibus montis Tauri,  
in vico Halale exanimatā subita vi morbi amisit.  
Superuacaneum mihi videretur quos honores eidē

Constā-  
tinus.

Aethi-  
ops.  
Fausti-  
na.



mortuæ adhibuerit, ne propiora falso, quàm vero videant vobis dicere. Hoc debet satis esse, hanc graui luxuriæ labe laborantem Cæsar Augustus ( adde Philosophum, & Antoninū ) post mortem diuam a Senatu appellatam gratulatus est, quam secum in æstiuis habuerat, dum viueret, & matrē castroꝝ appellauerat: statuas decernēdas curauit mortuæ, res sacras eidē, Sacerdotes etiam nomini suo non numini dicauit. Vnde hanc nostra emerfit effigies, mortua est autē iam natu grandior. Nunc quod oneris imposuisti mihi Benedicte suauissime, satis nauiter iam videor perfecisse: quamobrem iam me missum facias velim, curandi corporis iam tempus instat: Nec hic, quantum video, per multitudinem compotorum, quos adduxisti tecum, quique non inuitati pro tua liberalitate affuerunt, nobis est locus. B. Quietus esto, nam ego cūrabo, ne quid tibi per multitudinem conuiuiarum sit noxæ, cœnabimus commode in superiore cenaculo. X. Hoc pro tua in nos incredibili beneuolentia, sed alia hinc nos auocant, & maiora negotia: Franciscus etiā noster fortasse conuiuas, qui cū inuitarunt, moratur: Quapropter vale, & nos ( vt facis ) perpetuo ama. B. Vobis etiam nolentibus hoc fiet. At mi Xanthe, plurimas tibi gratias ago, habeboque, dum referam, quod mihi tua nihili faciens studia morem tandiu hodie gesseris: Sed nequidquā remoror vos, quamobrem, valete.



**I**LLVSTRIS, ac excellens patrone mi, si bre  
uior fortasse fuerim quam par erat in tanta re,  
celeritati meæ ignoscas quæso, nec enim plus, q̄  
biduum iis immoratus sum: verebar quippe, ne te  
aliquod negotium Romam quamprimum retrahe  
ret. Huic igitur, quidquid est operis, boni consue  
las velim. Vale præsidium meum, & me (vt insti  
tuisti) perpetuo fove.

C



**BREVIARIUM ANTIQVITA-  
tum, quæ sunt in Aedibus Illustris Domini  
B. Va'entis, & primo quæ in Xysto.**

M. Terentius Varro.  
Cæcilia Metella.  
Neptunus, & Galatea.  
Antonius Hadriani.  
Q. Pompeius Strabo.

Ad Fontem.

Canaphora.  
Silenus.  
Antæus.  
Mestalina.  
Nar.  
Clitumnus  
Isidis Sacerdos.  
Cupido.  
Venus.  
Ganymedes.  
Cleopatra.  
Germanicus.

Flus  
uii.

Lupa cum Romulo, & Remo infantibus.

In pariete secundum Fontem ad dextram.

Icarus cum Neera cane.  
Decius mus.  
Pollux.  
Gallus Sacerdos matris magnæ.  
Morpheus.  
Prometheus.  
Mithridates.





Anubis Aegyptiorum Deus.

Intra Aedes ad sinistram.

Cn. Pompeius magnus iuuenis.

Augustus adolescens.

Antoninus Commodus.

M. Antoninus Philosophus iuuenis.

In superiori Coenaculo.

Stratonice.

Claudius Cæsar.

M. Agrippa iunior.

Solon Salaminius.

Liua Drusilla.

Cossutia, C. Cæsaris Vxor.

M. Brutus.

Iulia, C. Iulii Cæsaris filia.

In inferiore parte ædium.

M. Agrippa. P.

Fuluia Antonii Vxor.

Drusus Nero.

In Aedicula.

Atalanta.

Fatua.

C. Octavius iuuenis, qui postea Augustus.

Hippia Mima.

C. Cæsar.

Iupiter Capitolinus.

Sporus Neronis.

Philippus Macedoniae Rex.

Hippolyte Amazon.

Lamię duę.

Sappho.

Bacchus.



Aurelia. C. Cæsaris mater.

Q. Ennius Poeta.

Donus Cæsaris Seruus.

Quæ sunt pro Porta maiori.

Ianus geminus.

Agrippina.

L. Septimius Seuerus.

Claudia Neronis Filia.

Pro portis Orei.

Nasamon pugnans cum Leone.

In Piscina.

Flavius Domitianus.

M. Antonius Triumuir.

Mammæa Alexandri Seueri mater.

Quæ sequuntur, nomina adhuc certum locum nō habent.

C. Flavius Constantinus magnus.

Aethyops seruus.

Faustina iam ingrauescens.

Plurima etiam sunt Capita tam in fonte, q̄ prope Mithridatem, & in ædicula, nec minus in summo tecto, quæ tum propter antiquitatem, & numisma tum de eis nullam cognitionem, tum propter longinquitatem minus cōicere potuimus: & quæ nomine donauimus, ea lege fecimus, vt qui melius sentiret, statim sententiã nostrã antiquaret. Quod si quis inani ostentatione paratus aliena carpere huc nihil præter dicacitatem attulerit: ne supra calcem ascendat, rogamus: neue ex aliena inuidia suam comparet gloriam: Postremo nouerit eum ab omni iure prorsus esse debere, qui in alium v



ratus est dicere, alienissimum, ne cum alios ad unco  
nafo suspenderit, risus postea non immodicos per  
ritioribus de se præbeat. Ego vero, vt de me dicā,  
eum me fore semper profiteor, qui libentissimē  
me acriori iudicio, & sapientiori mea nō  
solum, sed me etiam sim subiectu  
rus. Tu vero mi Benedicte,  
valebis, & mei (vt facis)  
nunq̄ obliuisceris.  
Vale.

Romæ apud Antonium Bladum Asulanum.

